


BREVIS
EXPOSITIO
CRITICES
VETERIS FOEDERIS

AUCTORE

HERMANNO MUNTINGHE.



EDIDERUNT

B. NIEUWOLD,


Leovardiae verbi divini minister

et

C. H. VAN HERWERDEN,

Theol. Doct. Hontenissae verbi divini minister.





GRONINGAE, APUD

I. OOMKENS,

Academiae Typographum.

1827.

PRAEFATIO EDITORUM.

Quem hic librum accipis, Benevole Lector! eum celeberrimus auctor ipse in lucem edere constituerat. Quapropter cum nobis testamento legasset quaecunque decessu suo relicturus esset manu scriptos libros, defuncti consilio non melius satisfieri posse putabamus, quam si ea typis vulgaremus, quae ipse vulgari voluisset. Accedebat quod publice alii, alii privatim id se desiderare et vero exoptare nobis significassent, fore, ut ex iis quae in summi viri schedulis superessent inedita, unum aliudve scriptum ad communem omnium conferretur notitiam et utilitatem. Quorum honestissimo et humanissimo desiderio quin respondendum esset, nullum videbatur esse dubium. Nobis pergratum hoc fuit officium, quippe qui ut ipsi semper grata ac-

venerabunda mente colimus dilectisſimi viri memoriam, ita nil carius aut ſuavius habemus, quam ut alii manibus exſtincti debitos offerant honores. Caeterum quod his addamus nihil est, niſi unum hoc, aliquot ante obitum MUNTINGHII *annos ſcriptionem esſe confectam. Unde factum, ut unum alterumque ad Criticam V. F. adiuvandam nostra memoria inventum praeſidium non commemoraverit auctor. Vale!*

INDEX
BREVIS EXPOSITIONIS CRITICES LIBRORUM VETERIS FOEDERIS.

PROLEGOMENA.

CAPUT PRIMUM.

DE LINGUA, QUA CONSCRIPTI SUNT LIBRI VETERIS FOEDERIS.

CAPUT SECUNDUM.

HISTORIA TEXTUS SACRI HEBRAEI.

PERIODUS PRIMA,

a librorum Codicis Hebraei scriptione ad aetatem Iesu Christi.

PE-

PERIODUS SECUNDA.

ab aetate Iesu Christi ad tempus Masoretharum.

PERIODUS TERTIA,

a tempore Masoretharum ad inventam artem typographiam.

PERIODUS QUARTA,

ab inventa arte typographica ad nostram aetatem.

CAPUT TERTIUM.

VARIANTIUM IN TEXTU SACRO HEBRAEO LECTIONUM ORIGINES AC VARIAE CLASSES.

CAPUT QUARTUM.

ADMINICULA, QUIBUS IN DIIUDICANDA LECTIONUM VARIETATE UTI POSSIMUS, MODUSQUE, QUEM IN IIS RECTE UTENDIS OBSERVARE OPORTEAT.

§

CAPUT QUINTUM.

REGULAE QUAEDAM, IN DIIUDICANDA LECTIONUM VARIETATE ET CORRIGENDO TEXTU PROBE OBSERVANDAE.

BRE-

BREVIS EXPOSITIO CRITICES

LIBRORUM

VETERIS FOEDERIS.



PROLEGOMENA.

§ 1.

Critices definitio.

Critice, licet, cum e vocis origine, tum et ex uſu multorum ſcriptorum, latisſimo ſenſu dicatur ars, quae in vero iudicando verſetur; a nobis tamen ſenſu arctiore appellatur ſola illa artis criticae univerſae pars, quae inquirenda, iudicanda, et conſtituenda lectione librorum veterum occupatur.

De artis criticae varia definitione, prouti ars haec vel latiore, vel ſtrictiore ſenſu accipitur, vid. praeter alios *Io. Ernest. Imm. Walchius*, *De arte critica veterum Romanorum*, (Ienae, 1771) *Cap.* I, § 1.

De critice, latisſimo ſenſu ſumta, in quantum ad ſcripta auctorum veterum pertinet, vid. *Ruhnkenius*, *Elog. Hemſterhus. pag.* 9, 10, *Saxius*, *Laudatio C. A. Dukeri*, *pag.* 23 ſeqq. *Wyttenbachius*, *Bibl. crit. Vol.* I, *part.* I, *pag.* 5 ſeqq. et in *Vita Ruhnkenii*, *pag.* 23 ſeqq. quibus addatur *L. C. Valckenarius* in *Hemſterhuſii et ſuis orationibus* (Lugd. Bat. 1784), pag. 286 ſeqq.

Nos, intra breviorem gyrum has inſtitutiones coërcentes, particulam tantum critices univerſae attingemus, quae ad ſolam ſpectat lectionem. Eius autem est,

1) *inquirere* lectionis veterum auctorum diverſitatem, prouti ea in variis eiusdem libri, ſive manuſcriptis ſive typis impresſis exemplaribus reperitur,

2) *iudicare*, adhibitis idoneis ſubſidiis, quaenam illa ſit lectio, quae vel *certe*, vel *probabiliter* ab Auctoris manu profecta ſit,

3) denique lectionem *conſtituere*, i. e. aut vulgarem ſi ſana ſit, vindicare, aut, ſi vitioſa, ſubſtituere aliam, quae vel *certe* vel *probabiliter* ab Auctoris manu profecta esſe videatur.

Multos, qui huius partis critices, quam *Criticem emendatricem* appellare liceat, praecepta tradiderunt, ſcriptores exhibet *Bauerus*, *Crit. ſacr. V. T. Proleg.* § 1.

§ 2.

Critices Veteris Foederis deſcriptio eiusque conſilium.

Si, quae univerſe de critice dicta ſunt, ad libros ſacros Veteris Foederis transferantur; apparet eorum criticen contineri ſcientiâ ac peritiâ artis inquirendi, iudicandi, et conſtituendi lectionem in contextu librorum Veteris Foederis. Huius itaque conſilium eo redit, ut, quantum fieri potest, contextus horum librorum ita conſtituatur, quemadmodum ipſi eum literis mandarunt auctores.

§

§ 3.

Historia Critices Veteris Foederis.

I. Antiquisſimum, de quo certe conſtat, adhibitae ad inquirendam, iudicandam conſtituendamque lectionem librorum V. F. critices exemplum dederunt doctores Iudaei, *Maſorethae* appellati, qui, uti deinde videbimus, ineunte ſaeculo post Chriſtum natum ſexto, corrigendo et hic illi emendando Codicis Hebraei textui manus admoverunt. Verum ipſa haec Maſoretharum diligentia, licet meritis ſuis non careat, tamen cum et ab Iudaeis, et a multis quondam, nimium credulas illis aures praebentibus Chriſtianis, ultra quam par esſet, laudaretur, hunc habuit effectum, ut per longam ſaeculorum ſeriem, ea omnibus viſa fuerit textus ſacri Hebraei integritas, quae, paucis minutiis orthographices exceptis, nullam amplius critices opem poſtularet. Erat nempe haec, et est adhuc hodie plerorumque Iudaeorum opinio, nullo hiſtoricae fidei fundamento ſubnixa, ſed e ſola infida traditione derivata, iam ab Ezra confesſum quendam, *Synagogae magnae* nomine appellatum, fuisſe inſtitutum, qui praeter alia, ad religionem pertinentia, etiam hoc curaverit, ut lectionem textus Hebraici authenticam definiret, cuius ad normam omnia, quae poſtea deſcriberentur, exemplaria exigenda esſent. Hic autem ab iis conſtitutus textus ut ab omni labe purus conſervaretur, curasſe imprimis Maſorethas, eum corrigentes et colligentes annotationes ad illum criticas, quas, ab ipſo iam Ezra eiusque collegis inchoatas, doctores illi, qui iam ab Ezrae aetate continua ſe exceperint ſerie, novis identidem accesſionibus auxerint; donec hanc operam ineunte ſaeculo ſexto ita abſolverint Maſore-

thae Tiberienſes, ut conſtitutus ab iis textus poſtea quaſi amusſis esſet, ad quam omnium codicum manuſcriptorum editionumque probitas examinaretur; ita ut exemplaria, quae ab hac norma discreparent, tamquam vitioſa reiicerentur (*a*).

II. Mirum itaque non est hanc a Chriſtianis aeque magni habitam Maſoretharum diligentiam id effecisſe, ut fere omnes *abſolutàm* quandam esſe ſibi perſuaderent textus Hebraici ita conſtituti *integritatem*, nullis ſaltem paucisſimis parumque momenti habentibus lectionis vitiis infectam. Haec cum plerorumque esſet opinio, omnes codices manuſcripti omnesque, post inventam artem typographicam publicatae, editiones ad ſolam hanc normam examinabantur, neque ulli fere emendandi textus ſacri labori dabatur facultas. Pauci tantum fuere inter Iudaeos viri eruditiores, qui aliquam criſi emendatrici operam dederint. In his fuere primum, qui ſaeculo, uti videtur, octavo colligerent varietatem lectionis inter codices Orientales, id est Babylonicos, et Occidentales, id est Palaeſtinenſes, quos deinde ſaeculo undecimo ſecuti ſunt duo Rabbini *Ben Aſcher* et *Ben Napthali*, qui aliquas in punctatione varietates collegerunt. Haec vero conamina critica, de quibus dein data opera dicetur, levisſimi ſunt momenti.

Luculentiorem in critica ſacrà laborem collocavit ſaeculo XIII *R. Mein Levita filius Todros*, vulgo appellatus *Todroſius*, vel et per literarum compendium *Harama* הרמה i. e. *R. Meir Halleri*, qui in opere quod inſcripſit, ספר מסורת סיג לתורה i. e. *liber Maſorae*, *ſepis legis*, multas codicum manuſcriptorum varietates collegit, ſeque dicit e pluribus accuratis ac vetuſtis codicibus optimas lectiones ſelegisſe.

III. Postquam deinde ars typographica inventa esſet, *Daniel Bombergius*, celebris apud Venetos typo-

pographus, anno 1525 publicavit Codicis Hebraei editionem, ſuarum editionum tertiam, qua, praeter ipſum textum, commentarios quoque celebriorum Rabbinorum, et univerſam Maſoram complexus est; cui curandae praefecit eruditum quendam Iudaeum, *Iacobum Ben Chaiim*, qui cum multas invenisſet textum inter ac Maſoram lectionis varietates, modo lectionem textus, modo lectionem Maſorae, pro ſuo iudicio, ſecutus est. Atque haec editio tantam nacta mox est nominis famam, ut ad eius normam omnes fere, quae deinde prodierunt, Bibliorum Hebraeorum editiones conformatae fuerint (*b*). Solus ex Iudaeis *R. Menachem de Lonzano* anno 1544, conſcripto opere, quod אור תורה, id est *lucem legis*, appellaret, collationem inſtituit, ad unum Pentateuchum pertinentem, editionis Bibliorum Bombergianae cum decem codicibus MSS. (*c*).

Hunc tandem ex Iudaeis ſecutus est *R. Salomo Norzi*, qui anno 1626 commentarium conſcripſit criticum in omnes Codicis Hebraici libros, quo textum ſacrum ex pluribus contulit Codd. MSS. eumque haud raro emendare conatus est, quod vero opus demum publicatum fuit Mantuae, anno 1742, quo tempore illud cum nova editione textus Hebraici, conſtante IV voluminibus in 4°, coniunxit *Raphaël Chaiim Baſila*, qui et criticas ſuas annotationes partim *Norzii* commentario inſeruit, partim ſub finem ſingulorum voluminum addidit (*d*).

Fuerunt vero conatus illi critici valde tenues, cum partim ad ſolam pertinerent recenſionem textus Hebraici Maſorethicam, nulla habita verſionum antiquarum ratione, partim plerumque in minutiis verſarentur.

IV. Neque inter Christianos prima post renatas literas aetate, multum laboris in critica ſacra

collocatum est, ſi excipiatur editio Bibliorum Rabbinicorum, anno 1518, a *Felice Pratenſi* Venetiis in lucem emisſa, cui additae ſunt variantes lectiones codicum Orientalium et Occidentalium, itidemque varietates *Ben Aſcher* et *Ben Naphtali*, et Bibliorum Hebr. anno 1536 a *Sebastiano Munſtero* procurata, cui aliquot variantes lectiones, ab ipſo collectae, adiunctae ſunt.

Addi his potest, fuisſe inter antiquiores Theologos ac Bibliorum interpretes aliquos, qui ſibi libertatem ſumerent textum Hebraeum aliquando, ſed non niſi rarisſime, corrigendi, uti *Lutherus* in ſua verſione, *Maſius*, aliique pauci: verumtamen perparum effecere, cum omnes tam Christiani, quam Iudaei Maſorethicae recenſioni, tamquam quae parum operis reliquisſet, nimium presſe inhaererent, et in editionibus, quas in lucem emittebant, textus Hebraici, commemoratam modo editionem Bombergianam, tamquam fidisſimum ducem, presſo pede ſequendam arbitrarentur.

V. Cum itaque e communi fonte, eodemque, uti vulgo exiſtimabatur, purisſimo, omnes editiones textus Hebraei promanasſent, et ille perpetuus editionum conſenſus in causſa esſet, ut criticae uſus prorſus ſupervacuus cenſeretur; mirum non est, neglectum quoque fuisſe examen codicum manu ſcriptorum veterum verſionum, aliorumque ſubſidiorum criticorum; donec ſtudiis his criticis natales quaſi dederunt ſaeculo XVII *Io. Morinus*, *Lud. Capellus* et *Iſaäcus Vosſius* (e).

Io. nempe *Morinus*, Presbyter Oratorii Pariſienſis, puritatem textus Maſorethici impugnavit, cum in *Prolegomenis ad editionem verſionis* LXX *interpretum*, Paris. 1628, tum in *Exercitationibus in utrumque Pentateuchum Samaritanum*, ibidem 1631. Illi autem vi-

vitio fertur, quod Pentateucho Samaritano, LXX interpretibus, et verſioni vulgatae Latinae nimiam in conſtituenda lectione textus Hebraici auctoritatem attribuit.

Lud. porro *Cappellus*, Theologiae in Academia Salmurienſi Profesſor, vir praeclarae eruditionis et acerrimi ingenii, primum ſententiam, quam ſaeculo XIII *Raimundus Martini* in opere quod *Pugionem fidei adverſus Mauros et Iudaeos* inſcripſit, et ſaeculo XVI *Elias Levita*, eruditus Iudaeus, in libro מסרת המסרת, iam defenderant, quae punctorum vocalium et accentuum antiquitatem et auctoritatem negabat, palam propugnavit, novorumque argumentorum pondere ſtabilire conatus est libro, inſcripto: *Arcanum punctationis revelatum, ſive de punctorum vocalium et accentuum apud Hebraeos vera et germana auctoritate*, quem librum, cum ſententia, quam impugnabat, a nemine fere in dubium vocaretur, immo et cum ipſius Codicis Sacri divina auctoritate arctisſime exiſtimaretur coniuncta, ipſe in Gallia edere auſus non est, ſed *Thomae Erpenio* edendum miſit, qui illum typis imprimi curavit Lugduni Batavorum, anno 1624.

Moleſtiae vero, quas hicce liber *Cappello* excitarunt, eum non impediverunt, quo minus mentem ſuam de auctoritate non tantum punctorum vocalium et accentuum Hebraeorum, verum etiam univerſae recenſionis textus Hebraici Maſorethicae palam explicaret libro celebratisſimo, quem inſcripſit: *Critica ſacra, ſive de variis, quae in ſacris Veteris Testamenti libris occurrunt, lectionibus, libri ſex;* quo opere, cuius prima editio prodiit *Lutetiae Pariſiorum*, anno 1650, intactam, quae tunc vulgo credebatur, codicum Hebraeorum, manu ſcriptorum et textus Hebraei puritatem data opera impugnavit, multas varias textus

facri lectiones collegit, et varia eius menda corrigere conatus est, deftitutus quidem adhuc codicibus manu fcriptis, fed ufus fubfidiis collationis librorum V. T. inter fe, collationis locorum V. et N. T. parallelorum, variarum lectionum Keri et Kethib, codicum Orientalium et Occidentalium Iudaeorum, variarum editionum et codicis Samaritani, itemque verfionum veterum et commentariorum Rabbinicorum (*f*).

Tandem etiam *Ifaäcus Vosfius*, anno 1661, editis *Disfertationibas de* LXX *interpretibus eorumque translatione et chronologia*, textus hodierni Hebraici puritati fortiter fe opponere non dubitavit, fed ita, ut nimis quam par esfet, verfioni Septuaginta-virali faveret.

Cum vero ex his, qui intra breve hoc temporis fpatium fe communi opinioni opponerent, nemo esfet, qui hoc copiofius ageret, univerfumque hoc argumentum latius exponeret, quam *Cappellus*; ille quidem haud paucorum virorum eruditorum laudem tulit, verum e multos in fe armavit adverfarios, in quibus principem locum tenuit *Io. Buxtorfius*, iunior, quocum et alii fe coniunxerunt. Ex iis vero qui post *Cappellum* five edendo, five exponendo codici Hebraeo operam dedere, longe plurima pars veteribus Iudaeorum opinionibus inhaerens a Buxtorfii partibus ftetit, quae et ratio est, quod, qui ab eo inde tempore textum Hebraeum ediderunt, vel folas antiquiores repetierint editiones, nullis ufi codicibus manu fcriptis, uti *Nisfclius*, *Clodius*, *Maius*, aliique, vel quosdam quidem codices contulerint, fed ita, ut in punctis, accentibus fimilibusque tantum minutiis haererent, praetermisfis maioris momenti varietatibus; utpote quas omnes pro manifestis habebant defcriptorum erroribus, critico examine indignis, uti *Munfterus*, *Opitius*, *Iablonskius* et *I. H. Michaëlis*.

Ne-

Neque mirum hoc erat, cum haec iis, a Iudaeorum doctoribus hauſta, alte infixa esſet opinio, quidquid a conſtituta ſemel lectione Maſorethica discreparet, illud eo ipſo nomine reiiciendum esſe.

Atque ex eodem fonte ſiniſtrum ortum est iudicium, quod plerique, ſuperſtitioſis Iudaeorum vestigiis insistentes tulerunt, de textu Samaritano Pentateuchi, utpote quem, licet totus ſit Hebraeus, literis tantum Samaritanis exaratum, et antiquitate ipſam Ezrae aetatem antecedentem, interque plura vitia multas etiam habentem lectiones Maſorethicis lectionibus longe meliores, eo nomine, quod non a Iudaeis, ſed a gente Iudaeis inimicisſima, ad nos pervenit, prorſus reprobabant.

VI. Post *Cappellum* vero, eodem ſaeculo XVII, de Critica Sacra egregie meritus est *Brianus Waltonus*, *Bibliorum polyglottorum* Londinenſium, ab anno 1653—1657 in lucem emisſorum editor, qui licet ipſe nihil in textu Hebr. mutaverit, tamen ſe vestigiis *Cappelli* inſiſtere clare docet *Prolegomenorum Cap.* VI, eaque editione multum adiumenti attulit iis, qui emendando textui Hebr. verſiones antiquas adhibere vellent (*g*). Neque ſuis, aliquot annis post, meritis caruit *Richardus Simonus*, ſacerdos Oratorii Pariſienſis, edita anno 1678, ac inde auctius repetita anno 1685, Gallico ſermone, *Historia critica Veteris Testamenti*, qui, etſi non in omnibus probandus, de quamplurimis tamen rebus, ad Criticem ſacram V. T. ſpectantibus tam erudite et accurate egit, ut adhuc eius opus lectu ſit dignisſimum, quamquam et ille multos ſibi nactus fuerit adverſarios (*h*).

VII. Cum vero maxima adhuc Theologorum et interpretum pars, paucisſimis tantum exceptis, in neglectu immo et contemtu Critices ſacrae perſeveraret, laetior ei demum aurora exorta est medio ſae-

culo praecedente, per *Carolum Franciscum Houbigantium*, Oratorii Iesu Parisiensis sacerdotem, qui anno 1753 novam publicavit Bibliorum Hebraeorum editionem, tomis IV in forma maxima comprehensam, adiectis annotationibus, quibus multa textus Hebraei loca emendare conatus est, addita porro versione Latina, ad emendationes suas accommodata, praemissis denique amplissimis prolegomenis, quibus operis sui utilitatem ac rationem describit, de codicum Hebraeorum corruptione exponit, canones, in emendando textu sacro Hebraeo observandas, tradit, aliaque ad crisin sacram facientia ample pertractat.

Quamquam vero Houbigantius Criticae sacrae exercendae minime idoneus fuerit, utpote a vera linguae Hebraeae intelligentia valde imparatus, nullo fere genii orientis gusto imbutus, nullo, saltem valde exiguo, elegantiae sensu tinctus, audax nihilominus et temerarius in crisi adhibenda, multosque hinc nactus fuerit adversarios; habet tamen opus eius haud pauca utilia, interque eius emendationes sunt plures, quae acumen eius certissime prodant, insuperque hoc praecipuum eius fuit meritum, quod diligentius quam olim, licet negligentius quam par esset, codices quosdam manu scriptos Hebraicos e Bibliotheca Regia Parisiensi conferret, atque hoc modo ad conferendos codices manu scriptos textus Hebraei acrius, quam huc usque factum esset, eruditos exemplo suo excitaret (*i*).

VIII. Longe autem feliciore cum successu eodem tempore huic labori incubuit *Benjamin Kennicottus* Theologus Anglus. Hic scilicet, exemplo, quod *Io. Millius*, popularis suus, in Novo Foedere exhibuerat, excitatus, et *Roberti Lowthi*, qui in opere celebratissimo *de sacra poësi Hebraeorum*, eadem ae-

aetate in lucem emisſo aliqua, etiam textus ſacri, e codicibus manu ſcriptis emendandi ſpecimina dedisſet, hortatu, cum ipſe, tum adhibita paucorum ſociorum ope, fere ab anno 1760 e codicibus et editionibus Hebraicis 694, per varias multarum regionum bibliothecas disperſis, infinitam variantium lectionum copiam congesſit, quas uno conſpectu exhibuit in ſplendidisſima *Veteris Testamenti Hebraici* editione, 2 voluminibus in forma maxima, Oxonii, 1776 et 1780, in lucem emisſa, adiuncta etiam *disſertatione generali*, qua operis rationem, codicum collatorum aetatem ac valorem et alia quaedam, ad criſin ſacram ſpectantia, petractat, quam deinde ſolam, lectuque dignisſimis notis locupletatam, denuo edidit *Paulus Iac. Bruns*, Brunovici 1783, 8°, quacum iungenda est *Kennicotti Disſertatio ſuper ratione textus Hebraici Veteris Testamenti in libris editis atque ſcriptis*, Anglice edita anno 1753, deinde vero in Latinum ſermonem translata a *Guil. Abr. Tellero*, II Voll. in 8°, Lipſiae 1756 et 1765.

Hi autem labores Kennicottiani, etſi ſuis meritis non defraudandi, omnem, quam antea excitaverant, exſpectationem non impleverunt. Cuius rei ratio partim quidem erat in quorundam exſpectatione forte nimis magna, partim vero praecipue in ipſo *Kennicotto*, qui, quamquam vir erat haud vulgariter, eruditus, accurata tamen carebat linguae Hebraeae notitia, verorumque ſanioris critices principiorum parum erat gnarus: unde fieri non poterat, quin haud pauca in eius labores criticos derivarentur vitia: in quibus imprimis haec ſunt, quod ſatis accuratum non fecerit codicum delectum, neglectis haud raro praeſtantioribus, collatisque iis, quos melius blattis ac tineis corrodendos reliquisſet, porro quod col-

collationes codicum, imprimis quas per alios instituit, haud raro valde negligenter factae sunt, ac denique quod iudicium, ab ipso in *Dissertatione generali* de codicum antiquitate et probitate latum, saepe a vero est alienum, hominemque ostendit, crisi faciendae haud valde idoneum.

Variantes vero lectiones, quas quasi in acervum congessit, docuerunt, ex una parte, codicum omnium, quotquot huc usque collati fuerunt, nullum, saeculo X vel XI esse antiquiorem, eos porro multa continere calami vitia, paucas vero alicuius momenti lectiones variantes, quippe omnes ad unam recensionem Masorethicam conformatas, eiusque plerumque lectionem confirmantes; at vero etiam ex altera parte in iis haud pauca esse exempla lectionum, quas interpretes antiquiores secuti sunt, invita Masora, conservatarum, adeo ut, quemadmodum ex una parte multorum exspectationi non responderit labor Kennicottianus, et haud desint in eo multa reprehendenda, tamen ex altera parte magni ille sit faciendus, 1) quia leviores etiam variantes lectiones, quales sunt pleraeque, quas collectio Kennicottiana exhibet, haud parum conducunt ad eum nitorem libris sacris restituendum, cuius etiam in minutioribus rebus capaces sunt, 2) quia non paucae sunt aliae, quibus loca affecta emendari, atque difficultates, quae interpretibus molestae erant, superari queant, 3) quia diligens examen variantium lectionum a Kennicotto congestarum nobis saepe egregie ob oculos ponit rationem qua variantes lectiones in codicibus MSS. ortae fuerint (*k*).

IX. Kennicotti autem labor mox et plures alios excitavit, praesertim in Anglia et Germania, qui fervido, immo haud raro modum excedenti critices sacrae studio manum admoverent, quorum ab anno

1760

1760 usque ad annum 1780 ingens fuit copia, quos inter eminuit *Theod. Christ. Lilienthal*, Theologus Regiomontanus, qui duos codices, Regiomonti asservatos contulit, variantesque lectiones, ex iis collectas, non exhibuit tantum, verum et erudita commentatione illustravit, anno 1770 (*l*).

Secuti deinde sunt et alii, maxime per Germaniam, in quibus eminent *Io. David Michaëlis*, et *Io. Gothofr. Eichhornius*, quibus vero et ipsis non dubito quin orbis eruditus praetulisset cl. *Nicolaum Gulielmum Schroederum*, nostrae quondam Academiae insigne decus, si ipsi libuisset pluribus in lucem editis libris orbem eruditum beare (*m*). Neque e nostratibus praetermittendi sunt *Herm. Venema*, *Everardus Scheidius* et *Io. Egb. Greve*, quos, quidquid iudicaverit quis de principiis, quibus crisin suam superstruxerunt, vel de singularum, quas proposuerunt, correctionum textus sacri valore, de critica sacra V. T. egregie meritos fuisse, aequus arbiter negare nequit (*n*).

X. Eximie vero prae aliis post Kennicottum de critica Veteris Foederis meritus est *Io. Bernardus de Rossi*, in Academia Parmensi linguarum Orientalium Professor, qui e collatis a se ipso codd. MSS. 751 editionibusque vetustioribus 310 variantes lectiones congessit, easque cum variantibus lectionibus Kennicottianis veteribusque versionibus contulit, additis etiam si occasio daretur recentiorum criticorum correctionibus et coniecturis; huncque universum apparatum criticum exhibuit opere, quod inscripsit: *Variae lectiones Veteris Testamenti, ex immensa MSS. editorumque Codicum congerie haustae et ad Samar. textum ad vetustissimas versiones, ad accuratiores sacrae criticae fontes ac leges examinatae* 4 Vol. in 4°,

Par-

Parmae 1784—1788, cui deinde addita ſunt *Scholia critica in V. T. libros*, *ſeu ſupplementa ad varias ſacri textus lectiones*, I vol. in 4⁰ Parmae 1798. Opus hoc ad criſin V. T. maximi est momenti, cum in codicibus, quos contulit Rosſius, ſint 567, qui nondum collati fuerant, et ex eo clarius, quam e labore Kennicottiano, appareat, in Codicibus V. T. quamquam, ut plurimum cum textu Maſorethico convenientibus, et plures exhibentibus lectiones, quae ad minutias ſpectant, multas tamen reperiri varietates maioris momenti, a textu Maſorethico diverſas, et verſionum antiquarum cum iis conſenſu confirmatas: quare et hoc opus promovendis ſtudiis criticis haud parum inſerviit (*o*). Ceterum ad noſtrum usque tempus continua hoc ſtudium cepit incrementa; quamquam adhuc in eo plurima ſunt, quae longe abſint a maturitate, eruditorum diligentiam deſiderantia et exercentia, uti et dein videbimus (*p*).

(*a*) Huc redit ſummatim Anticriticorum, qui dici ſolent, ſententia, quam et ſuccincte expoſuit cl. *N. G. Schroederus*, in *Oratione de causſis criticae*, *quae in ſacro Veteris Teſtamenti codice exerceatur*, *contemtae ante hoc et neglectae*, *nunc autem in pretio habitae diligenterque excultae*, inſerta *opusculis de ratione ſtudii* a cl. *Scheidio* editis, *Tom.* III. *pag.* 441.

(*b*) Tres procuravit Bombergius Bibliorum Hebraïcorum editiones, e quibus vero haec ea est, quam omnes fere ſequentes editores expresſerunt.

(*c*) De opere hoc critico vid. praeter alios *G. Fabricy*, *Titres primitifs de la revelation. Tom.* II. *pag.* 353 ſqq. et *De Rosſi*, *Prol. ad var. lect. V. T. Tom.* I, *pag.* XL, XLI.

(*d*) De laboribus criticis *Salomonis Norzi* vid. *Roſenmuller l. c. pag.* 264 auctoresque ab eo citati, quibus add. *De Rosſi*, *l. c. pag.* XLI ſeqq.

(*e*) De laboribus criticis *Io. Morini* et *Is. Vosſii* vid. *R. Simon*, *Hiſt. crit. du Vieux Test. Chap.* VIII, inſuper, de

Io.

Io. Morino auctores citati a *Saxio*, *Onomast. litt. Tom.* IV, *pag.* 327, quibus add. *G. Fabricy*, *Titres primitifs de la Revelation*, *Tom.* II, *pag.* 438 feqq. et imprimis *Rosenmuller*, *l. c. pag.* 439 sqq. De *Isaäco Vossio* vid. itidem auctores citati a *Saxio*, *l. c. pag.* 443 et *G. Fabricy*, *l. c. pag.* 451 feqq.

(*f*) De *Capello* eiusque in criticen sacram meritis conf. auctores citati a *Saxio l. c. Tom.* IV, pag. 314, quibus add. operis Capellani recensio apud *Clericum*, *Biblioth. universelle*, *Tom.* XII, *pag.* 1 feqq.

De universa autem cum *Capello* agitata controversia praeter alios conf. *G. Fabricy*, *l. c. pag.* 443 feqq. et *Rosenmuller*, *l. c. pag.* 466—488. quibus add. *Biblioth. crit.* a cl. *Wytenbachio* edita, *Tom.* I, *pag.* 86.

(*g*) De *Waltono* conf. auctores citati a *Saxio*, *l. c. Tom.* V, *pag.* 6.

(*h*) *Richardi Simoni* laborumque eius criticorum notitia petatur ex auctoribus citatis a *Saxii*, *l. c. Tom.* V, *pag.* 281, quibus iungatur *Clerici Bibl. universelle*, *Tom.* XII, *pag.* 404 feqq. ac praesertim *Rosenmuller*, *l. c. pag.* 115—139.

(*i*) Ad Houbigantii de critica sacra merita recte aestimanda conf. auctores citati a *Saxio*, *l. c. Tom.* I, *pag.* 524 et *Tom.* VII, *pag.* 175, quibus add. praeter alios *Kennicottus*, *Dissert. II super ratione textus Hebr. pag.* 446, *G. Fabricy*, *l. c. Tom.* II, *pag.* 372, *N. G. Schroederus*, in oratione inserta *opusculis de ratione studii*, a cl. *Scheidio* editis, *Tom.* III, *pag.* 451, et *Orig. Hebr. Cap.* VIII, § 15, *Rosenmuller*, *l. c. pag.* 495 feqq., *Biblioth. crit. Wyttenbach. Vol.* I, *pag.* 89, 90. *Michaëlis*, *Bibl. orient. Tom.* XII, *num.* 189. *A. J. Arnoldi*, *zur Exegetik. und Kritik des A. T. Tom.* I, *pag.* 80. Acutissimam autem et eruditissimam in Houbigantii errores crisin exercuit cl. *Seb. Ravius* in *exercitationibus philologicis adversus C. F. Houbigantii prologemen. in S. S.* (*Lugd. Bat.* 1785, in 4°.) coll. *Ernestio*, *Bibl. Theol. Tom.* V, *pag.* 159. Notae criticae Houbigantii, praemissis prolegomenis, denuo editae sunt Francofurti ad Moenum, 1777, 2 vol. in 4., quam editionem, minime accuratam, recensuit *Michaëlis*, *l. c. Tom.* XIII, *pag.* 61 feqq.

(*k*)

(*k*) Hiſtoria operis Kennicottiani breviter exhibetur *Biblioth. crit. Wyttenbach. Tom.* I, *pag.* 93 ſeqq. et *Baueri Crit. S. V. T. pag.* 18 ſeqq., quibus iungatur *Roſenmuller*, *l. c. pag.* 502—524, coll. *pag.* 241—248. Nimis ſiniſtrum de eius laboribus criticis iudicium tulerunt *G. Fabricy l. c. Tom.* II, *pag.* 467—514, coll. *Discours praeliminair*, *pag.* CCXV—CCXIX. et *Eichhorn*, *Einl. in das A. T. Tom.* II, *pag.* 225. Convenit iudicium ſiniſtrum Galli Anonymi apud *Ernestium Bibl. theol. noviſſ. Tom.* II, *pag.* 99 et *Michaëlem Or. Bibl. Tom.* II, *pag.* 64 ſqq. Moderatius eoque nomine rectius est iudicium *Ernestii*, *Bibl. theol. noviſſ. Tom.* II, *p.* 114, 115, *N. G. Schroederi*, *l. c. pag.* 452, 453, *Michaëlis Bibl. orient. Append. Vol.* XII, *pag.* 22 ſeqq., *H. A. Schultenſii*, *Bibl. crit. Wyttenb. Vol.* I, *pag.* 79 ſeqq. *Baueri*, *l. c. pag.* 20, 21. *Roſenmulleri*, *l. c. Tom.* I, *pag.* 241 ſeqq.

(*l*) Valde et quidem pro merito laborem hunc *Lilienthalii* laudat *N. G. Schroeder l. c. pag.* 453. Recenſent vero et praeclara laude ſimul ornant opus hoc *I. A. Ernesti*, *Bibl. theol. noviſſ. Tom.* II, *num.* 1 et *I. D. Michaëlis*, *Bibl. orient. et exegit. Tom.* I, *pag.* 160 ſeqq. Varia autem ex altera parte in opere hoc reprehendit *I. B. Koehler*, in *Bemerkungen über die hebraïſchen Handſchriften in Königsberg*, in *Repertorio Eichhorniano*, *Tom.* XVI, *pag.* 1 ſeqq.

(*m*) *Michaëlis* et *Eichhornii* opera notiora ſunt, quam ut commemoratione eorum opus ſit. De *Schroedero* expertus loquor, qui eius per plures annos discipulus fuerim, ac deinde etiam amicitia eius honoratus. Erat praeſertim in eo inſigne ingenii acumen coniunctum cum ſolida eruditione et mira modeſtia. Conf. quae de *Schroedero* dixi in *Annotat. ad orationem ſaecularem Academiae Groninganae*, *pag.* 123 ſeqq. et quidem imprimis *pag.* 125, 126.

(*n*) Notisſima quoque ſunt virorum hic commemoratorum opera, e quibus de facultate eorum critica iudicari posſit. Addere posſumus *H. Verſchurium*, *H. A. Schultenſium*, *Palmium*, *Paravium*, aliosque.

(*o*) Conf. de Rosſio *N. G. Schroederus*, *l. c. pag.* 453, 454, et *Bauerus*, *l. c. pag.* 22. Ceterum et alia quaedam evulgavit, ad criſin ſacram facientia opuscula minora quorum

rum catalogus conſpicitur in calce *Scholiorum criticorum in libros V. T. pag.* 144, quae, maximam partem, in Germania recuſa ſunt.

(*p*) Conf. imprimis eximia, iam nota (*a*) citata, oratio *N. G. Schroederi*, quam editor *Cl. Scheidius*, in praefatione *partis tertiae opusculorum de ratione ſtudii*, recte appellat *longe prudentisſimam et iuventuti, imprimis Theologicae, ad veram critices Hebraeae indolem cognoſcendam, utilisſimam.*

§ 4.

Summa Critices ſacrae librorum V. F. difficultas.

Summam esſe Critices horum librorum difficultatem, nemo facile negabit, cogitans, eos aetate a noſtra remotisſima esſe conſcriptos, de eorum autographis, et antiquisſimis Codicibus nihil fere ſciri, fata eorum in variis reipublicae Iudaicae vicisſitudinibus magnam partem nos latere, de valore recenſionum criticarum, a Iudaeis olim, ſecundum § 3, inſtitutarum eo incertius esſe iudicium, quo minus nobis conſtet de ſubſidiis criticis, quibus uſi, et de regulis critices, quas ſecuti ſint; inſuper Codicum Msſ., qui huc usque ad eruditorum notitiam pervenerunt, antiquisſimos vix ad ſeptingentorum annorum aetatem adſcendere, omnes in univerſum ad recenſionem Maſorethicam conformatos esſe, in locis maxime ſuſpectis haud raro in mendoſisſimas lectiones conſentire, notasque, quibus eorum vel antiquitas, vel bonitas indicetur, huc usque valde dubias esſe incertasque; verſiones itidem vetuſtas, licet egregium ſaepe praebeant adiumentum, ſaepisſime tamen et ipſas librariorum vitio ita deformatas esſe, ut emendando textui Hebraeo haud raro non prius adhiberi posſint, quam ipſae Critices ope vitiis pur-

ga-

gatiores factae ſint; quarundam etiam non niſi fragmenta quaedam ad nos pervenisſe, ac tandem ſaepisſime nihil conſtare de valore codicum, quibus uſi fuerint. His omnibus accedit etiam, Criticen librorum Veteris Foederis adhuc in ſua quaſi esſe infantia, quippe antea a paucisſimis tantum tractatam, a plurimis neglectam et contemtam, nec fere niſi a Kennicotti aetate rite exercitam; cum contra Critica librorum Novi Foederis iam a renatis ſaeculo XVI literis ad hoc usque tempus quam plurimos viros eruditos occupatos tenuerit.

Conf. *I. A. Dathe*, *De difficultate rei criticae in V. T. disſertatio*, edita Lipſiae 1762, deinde inſerta eius *opusculis* quae anno 1796 iunctim prodierunt. Vid. recenſio huius disſertationis in *Ernesti* Bibl. Theol. III, p. 919 etc.

§ 5.

Critices huius utilitas.

Utilisſimam esſe Critices librorum Veteris Foederis ſtudium, vix opus est, ut probetur illi, cui de necesſitate bene eorum intelligendorum perſuaſum ſit: libri enim hi probe intelligi antea nequeunt, quam de vera eorum lectione certum ſit: cui accedit etiam hoc, varia e multorum locorum lectione pendere, quae vel ad hiſtoriam antiquitatesque ſacras, vel etiam ad religionis notitiam haud exiguum habeant momentum.

§ 6.

Critices librorum V. F. abuſus.

Quantumvis vero nemini de Critices, in libris V. F. exercendae, utilitate dubium esſe posſit; nihilominus

nus funt haud pauci, qui nobilisfima arte nimium temere abutantur, quales funt, 1) qui lectionibus huius illiusve verfionis antiquae coeco impetu omnem deferant auctoritatem, uti e. g. lectiones verfionis Graecae Alexandrinae *If. Vosfius*, lectiones textus Samaritani *Io. Morinus* fere femper praeferat lectionibus textus Hebraici, 2) qui in gratiam fysthematis cuiusdam, ingenio fuo conficti, lectionem textus Hebraici, quandocunque ille fe ad illud fysthema non accommodet, immutant, qua ratione *Marcus Meibomius* et *Franciscus Hare* quamplurimas lectiones immutarant, ut eos conformarent ad metri Hebraici, quale illud uterque fibi detexisfe videbatur, rationem, 3) qui in omnibus fere locis, quae non intelligant, mox ad coniecturas criticas confugiant, ad quam temeritatem multi eo proniores feruntur, quo ipfi linguae Hebraeae eiusque idiotismorum funt ignorantiores, in quorum numerum omnino referendus est *Houbigantius*, iam § 3 commemoratus, vir quidem fagacisfimus, fed Hebraicae linguae tam rudis et ignarus, ut etiam aliquando primorum grammatices ac fyntaxeos Hebraeae principiorum, quae vel tyronibus nota funt, ignorantiam prodat, et cuius etiam fic in urendo et fecando audacia omnem prorfus modum excedit. Denique 4) his accenfere non dubitamus quosdam *altioris*, quae hodie dici folet, *Critices*, maxime in Germania, patronos, uti *Eichhornium* aliosque, qui e folo faepe ingenio fuo de *αυθεντια* vel *νοθεια* integrorum librorum, vel faltem magnorum librorum partium pronunciant, quorum inftitutum, etfi neque novum, neque etiam prorfus reiiciendum fit, faepius tamen cum nimia iunctum est iudicii temeritate, qua tandem omnia incerta reddantur. Quae amentia hac de caufa

in ipſorum etiam veterum auctorum profanorum criſi a modestioribus criticis condemnata est.

De nimia multorum criticorum temeritate conf. *Bibl. crit. Wyttenbach*, *Tom.* I, *pag.* 86 ſeqq.

De abuſu *Critices*, quae dicitur, *altioris* vid. praeſertim cl. *Greve* in praefatione *ad vaticinia Ieſaiae*, *metrice edita*, ubi imprimis diſputat contra cl. *Eichhornium*, multas temere vaticiniorum Ieſaiae nomen praeferentium partes tamquam ſpurias reiicientem. Haec a *Grevio* annotata qui legat, non poterit, quin hanc continuo magis invaleſcentem temeritatem condemnaturus ſit. Lectu digna quoque ſunt, quae de critice altiore in Codice Sacro disſerit *H. van Alphen*, in libro, *Predikt het Evangelie aan alle creaturen*, pag. 293 ſeqq.

§ 7.

Requiſita ad artem criticam in libris V. F. recte tractandam.

Ut autem recte artem criticam in ſacris his libris tractemus, requiritur

1) ingenii felicitas vel ſagacitas, quae ſi cui deſit, is potius a critice adhibenda prorſus abſtineat, quam ei manus admoveat (*a*).

2) eruditio accurata linguae Hebraeae, antiquitatisque et historiae, cum ipſius Hebraeorum populi, tum et aliorum populorum, quibuscum eorum historia connexa est,

3) animus modestus uniusque veri ſtudioſus,

4) familiaritas quaedam cum ſtilo et argumento librorum ſacrorum, imprimis ſaepius repetita attentaque lectione contracta, quae haud raro eximium est ad veram lectionem facile detegendam remedium (*b*). His omnibus tandem.

5)

5) accedat, quod manum crifi librorum facrorum non admoveamus, nifi in veteribus auctoribus Graecis ac Latinis faltem aliquod eius periculum fecerimus, et ab optimis horum criticis, e. c. Bentleio, Hemfterhufio, Ruhnkenio, Valckenario, Ernestio, Heynio, fimilibusque gustum quendam huius artis ac facilitatem nobis paraverimus.

(*a*) Egregie funt, quae hanc ad rem notavit *Ruhnkenius*, *Elog. Hemfterhufii*, *pag.* 11, edit 2dae.

(*b*) Exemplum talis diligentiae exhibuit vir fummus, *Tib. Hemfterhufius*, de quo hoc non tantum annotatione, verum et imprimis imitatione dignisfimum refert *Ruhnkenius*, l. c. *pag.* 50. „Cum fcriptori, five Graeco, five Latino crifin „fuam impertire conftituisfet, primum iuftam cum eo fami-„liaritatem contrahebat, hoc est, cum res ipfas, tum ver-„ba, fimilibus locis inter fe comparatis, quanta maxima „fieri poterat, diligentia cognofcebat, recte iudicans, fui „quemque fcriptorem optimum interpretem esfe, et, qui „non faepius totum fcriptorem uno tenore legisfet, eum in „emendando explicandoque turpisfime labi. Tali notitia „contracta, omnia ad certam rerum fermonisque normam „exigebat, difficilis, fufpicax, femper verens, nequid fibi „fallaciae vel a librario, vel ab interpolatore ftrueretur."
Hoc fummo iure, cum ad fingulorum fcriptorum facrorum, tum ad univerfi codicis Hebraei crifin transferri potest.

§ 8.

Pertractationis ordo.

Ut iufto ordine decurrat pertractatio noftra Critices librorum V. F. ante omnia brevem praemittemus confpectum linguae, qua hi libri confcripti funt; ubi ipfam linguae indolem, eiusque originem ac mutationes breviter trademus, fimulque quae ad fcri-

ptionem eius pertinent, indagabimus. Deinde hiſtoriam textus ſacri Hebraei inde a primo eius ortu usque ad noſtram aetatem, quantum fieri poterit, exponemus. Haec autem pertractatio cum nos edoctura ſit in codicis Hebraei textu haud exiguam esſe variantium lectionum copiam, porro illarum diverſas origines ac ſpecies inquirere allaborabimus; quae disquiſitio nos ſponte ducet ad conſideranda adminicula, quibus in diiudicanda lectionum varietate uti posſimus, ſimulque modum oſtendemus, quem in iis recte utendis obſervare oporteat. His omnibus pertractatis tandem quasdam regulas dabimus, a prudenti critico in diiudicanda lectionum varietate et corrigendo textu probe obſervandas.

CAPUT PRIMUM.

DE LINGUA, QUA CONSCRIPTI SUNT LIBRI VETERIS FOEDERIS.



§ 9.

Obſervatio hac de re generalis.

Cum libri veteris Foederis conſcripti ſint ab auctoribus Israëlitis, et Israëlitarum proxime uſibus inſervierent; mirum non est, eos lingua conſcriptos fuisſe, Israëlitis vernacula, quae erat Hebraea; quibusdam tantum in libris *Ezrae* ac *Daniëlis* exceptis Chaldaïce exaratis, quae cum ex archivis monumentis publicis, Chaldaïce conſcriptis, deſumta ſunt, tum et adſcribenda temporis rationi, quo dialectus Hebraïca cum Chaldaïca commixta, imo et cum ea commutata esſet. Reperitur etiam pericope, Chaldaïce conſcripta, inſerta libro Hebraïco Ieremiae, *Cap.* X, 11, ſed quam ab aliena manu profectam ac ſeriore demum tempore textui Hebraïco inſertam fuisſe, nullum esſe potest dubium (*a*).

(*a*) Conf. *Venema* et Dathe VV. cl. ad h. l.

§ 10.

Exponitur ſententia, quae linguam Hebraïcam primaevam ſtatuit, peculiaremque ei prae aliis linquis ſanctitatem attribuit, olim admodum vulgaris.

Cum, qui primi e Christianis linguae Hebraeae ſtudium coluerunt, Iudaeis uſi ſint praeceptoribus, mirum non est, ab his magiſtris quasdam etiam ad discipulos propagatas fuisſe opiniones, e ſola Iudaïca ſuperſtitione ortas; inter quas et haec una e praecipuis fuit, maximeque noxiis, linguam hanc a Deo ipſo cum Adamo communicatam, ab eoque per ſolam lineam ſanctam Sethitarum ad Israëlitas translatam esſe, eaque de causſa merito κατ᾽ ἐξοχὴν appellari *ſanctam.*

Antiquisſima appellationis huius veſtigia reperiuntur in paraphraſibus Chaldaïcis Veteris Foederis (*a*). Est autem ea probabiliter orta in captivitate Babylonica, ut ſic diſtinguerent linguam, qua lex conſcripta erat, et qua in ſacris utebantur, a Chaldaïca, qua uti ſolebant in vita communi, quam חול, ſeu *profanam* appellabant (*b*).

Deinde vero iam ſatis cito ſuperbus ille et ſuperſtitioſus, quo Iudaei iam a longo inde tempore alios perſecuti ſunt, contemtus effecit, ut cum hac denominatione opinionem coniungerent originis vere divinae, quae linguam hanc ſolam dignam faceret, qua Deus oracula ſua ederet, et qua ille coleretur, quae itaque per lineam illam ſanctam divinitus propagata esſet ad electum hunc ex omnibus nationibus a Deo populum, ab eoque uno uſurparetur (*c*).

(*a*) Exempla videri posſunt apud Buxtorſium, *Lex. Talmud*, *col.* 1160.

(*b*)

(*b*) Ita iam ſenſerant *Io. Buxtorfius*, et *Iac. Altingius*, quos ſequitur *E. H. Frommannus*, Opusc. (*Coburgi* 1710), *pag.* 50.

(*c*) Vid. *Frommannus*, l. c. qui et fabulas exhibet varias ab Iudaeis confictas, quibus opinatam iſtam ſanctitatem linguae Hebraeae ſuſtinerent.

§ 11.

Confutatur haec fabula per indicatam veram linguae Hebraeae originem.

Opinio haec nimium temere a quamplurimis Christianis arrepta (*a*), multorumque gravium errorum foecunda mater (*b*), deinde vero post alios imprimis ab *Alb. Schultenſio* profligata (*c*), facillime refutabitur, ſi veram linguae Hebraïcae originem indagaverimus.

Lingua ſcilicet illa, quae iam antiquisſimo tempore *Hebraea* (*d*) vel et *Cananaea* (*e*) itidemque post regnum Israëliticum diviſum, *Iudaïca* (*f*) appellabatur, procul dubio omnium, quotquot iam cognitae ſunt, linguarum antiquisſima est: est ſcilicet illa dialectus linguae, antiquisſimo tempore per tractum occidentalem Aſiae, inde a regionibus ultra Euphratem ab Oriente, usque ad mare mediterraneum ab Occidente, ab Armeniae finibus a Septentrione, usque ad ultimos Arabiae Felicis et Aethiopiae fines a Meridie uſitatae, quae lingua, in quantum iam nobis cognita est, in tres dialectos principes dividitur, nempe *Hebraeam*, *Arabicam* et *Aramaeam*, quae ultima iterum in duas dialectos a ſe invicem non niſi literarum forma et exigua pronunciationis differentia diverſas ſubdividitur, nempe *Syriacam*, quae in Syria ad Orontem et Septentrionali Meſopotamiae parte,

et *Chaldaicam*, quae in Chaldaea et Asſyria in uſu erat (*g*).

Univerſae huic linguae, paullatim in has dialectos diviſae, ſumma omnino adſcribenda est antiquitas, adeo ut, licet ipſa primaeva non ſit, primaevae tamen proxime accedat, ex eaque magnam ſaltem partem formata haud improbabiliter videri posſit (*h*).

(*a*) Conf. *Frommannus l. c., pag.* 56, 57.

(*b*) Egregie hoc oſtendit peculiari disſertatione *E. H. Frommannus*, *pag.* 47—81.

(*c*) Iam antea opinatam hanc linguae Hebraeae ſanctitatem oppugnarunt *Io. Wowerus*, in Polymathia, p. 196, *R. Simon*, *Hiſt. crit. V. Teſt.*, *Lib.* I, *Cap.* XIV et XV, et *Io. Clericus*, in *Disſert.* I *ad comment. in Geneſin*, § 5, ſed argumentis illi uſi ſunt ſaepe parum valentibus. Nemo vero felicius in fabula illa prorſus profliganda verſatus est, quam *Alb. Schultenſius*, in praefationibus, quas cum *Commentario in Proverbia*, tum *Grammaticae Arabicae Erpenianae* praemiſit, itidemque in *ſtricturis* ad *Antonii Driesſenii*, rigidi ac ſuperſtitioſi ſanctitatis linguae Hebraeae defenſoris, *disſertationem de lingua primaeva.*

(*d*) Disputatur de origine huius denominationis. Conf. *Hezels*, *Geſch. der Hebraïſche ſprache*, *pag.* 5 ſeqq. Mihi omnium maxime probabile videtur, linguam hanc ſic appellari ab Hebero (עֵבֶר), *Gen.* X, 21, Abrahami proavo, a quo lingua haec per filium Phalegum, ad Abrahamum eiusque poſteros, et per eius fratrem Ioctanem ad Arabes pervenit, ſecundum genealogiam *Gen.* X contextam, unde et dialectus Hebraïca et Arabica antiquisſimae fuisſe videntur, Aramaea autem probabiliter deinceps demum orta est. Conf. etiam *Alb. Schultenſius*, *Grammat. Hebr.*, *pag.* 6.

(*e*) Sic שפת כנען occurrit *Ieſ.* XIX, 18, quo licet quidem intelligatur lingua, quam Israëlitae in terra Canaänitica loquebantur, ſimul tamen indicatur linguam Canaäniticam, ſeu Phoeniciam, a lingua Israëlitarum non diſcrepasſe, quod et multorum nominum Phoenicorum cum Hebraeis convenientia docet, uti imprimis clare oſtendit *Bochartus* in eruditisſimo opere, quod *Phaleg et Canaän* inſcripſit, itidem-

denique apparet ex reliquiis linguae Punicae, quae vere erat Phoenicia, quae in primis et initio *Poenuli* Plauti, *Actu* V, *Scena* I, superfunt, praeterea e numis quibusdam Phoeniciis, adhuc superstitibus, et e monumentis Punicis, quae anno 1822 erudita commentatione illustravit cl. *Hamaker*. Conf. etiam *Vitringa*, *Obs. s. L.* I, *C.* I, § 13. De Punicae imprimis linguae cum Hebraea convenientia iam vana Augustini et Hieronymi testimonia produxit *Jahn*, *Einleit. in die Göttl. Bucher des A. T.*, *Tom.* I, § 68.

(*f*) Conf. 2 *Reg.* XVIII, 26, 28. 2 *Chron.* XXXII, 18. *Nehem.* XIII, 24. Cf. *Hartmann*, *Linguistische Einl. in das Studium des A. T.*, *p.* 1 seqq. ubi egregie ostendit linguam Phoenicam, Samaritanam et Hebraeam esse eandem. Add. *Ypeij*, *gesch. der Nederl. taal*, *p.* 9 etc. Lingua etiam incolarum insulae *Melitae*, coloniae quondam Phoeniciae, habet adhuc reliquias veteris linguae Phoeniciae cum Hebraea et Arabica lingua convenientes. Conf. *Maii*, (*I. H.*) specimen linguae Punicae in hodierna Melitensium superstitis. (Marb. 1718). Exempla autem pleraque sunt Arabica.

(*g*) Memoria antiquissimarum huius linguae dialectorum, deletis, qui iis usi sunt, gentibus, earumque monimentis, prorsus interiit. Nos autem hic loquimur de solis illis dialectis, quae adhuc cognitae nobis sunt, e quibus Hebraïca prorsus est emortua, Arabica autem et Syriaca adhuc in vivo usu sunt. De dialecto autem Aramaea, eiusque quasi ramis Syriaca et Chaldaïca imprimis accurate egit *I. D. Michaëlis*, *Abhandlung von der Syrischen Sprache und ihre Gebrauch* (*Gott.* 1768), § 2, 3. De dialecto Aramaea late agit *Hartmann*, *Ling. Einl. p.* 138—160. Commemoratur vero etiam dialectus Samaritana, sed quae fere universa est Chaldaïca, literis tantum exceptis, et Aethiopica, sed quae orta est, ex Arabica. Conf. de utraque hac dialecto *I. D. Michaëlis*, *Beurtheilung der Mittel. welche man anwendet, die Hebraïsche Sprache zu verstehen*, (Gott. 1757), § 48, 49.

Etiam veteres Phoenices dialecto quadam eiusdem veteris linguae usos esse, annotatione (*e*) observatum est. Conf. et de ea *Michaëlis*, *l. c.*, § 50. Ceterum de omnibus his dialectis orientalibus vid. quoque *G. W. Meyer*, *Hermeneutik des A. T.*, *Part.* I, § 42—77.

(*h*)

(*h*) V. *Schult.*, *Gramm. Hebr. Praef.*, *pag.* 5, et *Iahn*, *Einl. in 's A. T.*, *T.* I, *pag.* 244 et *Pareau*, *Inſt. Int.* V. T., *pag.* 25, 26.

§ 12.

Conſpectus mutationum, quas ſubiit lingua Hebraea.

Dialectus Hebraïca, inde ab antiquisſimo iam ante Moſen tempore, usque ad tempus captivitatem Babylonicam proxime antecedens, paucis exceptis (*a*), eadem manſit. Ea temporis periodo, quae a Moſe ad Salomonem protenditur, ad ſummum perfectionis culmen una cum poëſi adſcendit, ab eo vero inde tempore, quod a Salomone procurrit ad captivitatem Babylonicam fieri non potuit, quin variae regni Israëlitici et Iudaïci converſiones univerſo ingenii cultui, adeoque et linguae haud parum detrimenti adferrent. Licet enim in Amoſi, Hoſeae, Ieſaïae, Michae et Nahumi vaticiniis egregia adhuc reperiantur puri ſermonis et ſublimis dictionis veſtigia, in iis, qui deinceps vixere, ſcriptoribus, iam hic illic quaedam exſtant decreſcentis loquendi puritatis indicia, imprimis apud Ieremiam, qui ſub ultimis Iudaeorum Regibus Ioſia, Ioachazo, Ioiakimo, Iechonia, et Zedekia, adeoque usque ad interitum regni Iudaïci vaticinatus est (*b*).

Porro in exſilio Babylonico, fieri non potuit quin lingua Hebraïca, licet Iudaeis maneret vernacula, haud parum adſumeret e dialecto Chaldaïca. Ulterior dein corruptio infecit eam, cum Iudaei et Israëlitae per varias regiones ſub regibus Syro-Macedonibus dispergerentur, et ipſi illi, qui in Palaeſtina degebant, omnem ingenii adeoque et linguae cultum negligerent; quo pacto lingua haec, iam tempore Ieſu et A-

Apoſtolorum valde depravata, paullatim ad interitum vergit; donec eius uſus post capta a Romanis Hieroſolyma, ac deletam Iudaeorum rempublicam ſenſim prorſus evanuit (*c*).

(*a*) Nempe 1) quaedam in variis regionis Israëliticae partibus fuit pronunciandi diverſitas, ſic Ephraïmitae pronuntiabant סבלת, quod caeteri Israëlitae effere ſolebant, שִׁבלת, *Iud.* XII, 6. Alia exempla ſuppeditat *A. T. Hartmann*, *Linguiſt. Einl. in 's A. T.*, *pag.* 94 ſqq.

2) Verſionis Graecae Alexandrinae auctoribus aliqua nomina propria aliis vocalibus quam in noſtris codicibus inſtituuntur. Sic e. e. בִּלְעָם legerunt בַּלְעָם, ſemper enim *Βαλααμ* vertunt; indicio probabili, ſe habuisſe ante ſe codices, qui quasdam habebant ex aliis dialectis pronunciationis varietates.

3) Forte et in quibusdam pronunciatio, quae in familiari convictu uſurpabatur, differebat ab illa, qua ſcribentes utebantur. Sic in quotidiano convictu מן dictum fuisſe videtur pro מה *Exod.* XVI, 15.

(*b*) Specimina quaedam ex Ieremiae vaticiniis dedit *Eichhornius*, *Introd. in libros V. T.*, § 536, quocum conf. cl. *Pareau*, *Obſ. Gen. ad Threnos Ieremiae*, *pag.* 14, 15.

(*c*) Hiſtoriam linguae Hebraeae olim Latine ſcripſit *Io. Simonis*, dein vero Germanice *Wilh. Frid. Hezel*, et, qui reliquis palmam praeripuit, *Geſenius*, Philologus Halenſis, peculiari opere Germanico.

§ 13.

Origo et mutationes alphabeti Hebraïci.

Uti omnes populi, ingenio minus exculti, primum nulla valent literarum pingendarum arte, deinde vero ars haec, postquam inventa est, paucorum tantum esſe ſolet, reliquos vel dignitate vel ingenio ſuperantium, ita et apud populos Orientales, nominatim

tim apud Hebraeos, ars fcribendi antiquisfimo tempore prorfus ignota, dein vero, postquam inventa fuit, diu paucioribus tantum cognita fuisfe videtur, ac deinceps demum, crescente ingenii Hebraeorum cultura ad omnes, faltem ad plerosque pervafit (*a*).

Quanta autem fit artis fcriptoriae apud Hebraeos antiquitas, valde est incertum; licet probabile fit, illam Abrahamo, faltem Mofe, antiquiorem fuisfe, quippe quod doceant monumenta illa vetustisfima, quae Mofes ex antiquisfima mundi aetate collegit, dictione compofita a ftilo Mofis diverfisfima, ac fingula proprium fibi habentia characterem (*b*).

Aeque in obfcuro iacet, quales antiquisfimi fuerint literarum Hebraïcarum characteres: id unum certo dici potest, origine literas Hebraeas, Arabicas, Aramaeas, Phoenicias, easque omnes, quas pinxerunt, qui aliis linguae illius orientalis dialectis utebantur, fuisfe easdem, deinde vero eas labente tempore eo magis a fe invicem discrepasfe, quo minus populi, qui diverfis illis dialectis utebantur, invicem focietate coniuncti esfent, locorum quippe intervallis, religionisque et morum diverfitate, aliisque de causfis paullatim longius a fe invicem fecedentes (*c*).

Speciatim vero et formas literarum Hebraïcarum olim diverfisfimas fuisfe ab iis, quibus iam utimur, apparet inde, quod veterum verfionum collatio nos docet, eas literas in antiquisfimis codicibus aliquando inter fe permutatas fuisfe, quae iam nullam inter fe habent fimilitudinem (*d*).

Praeterea characteris vetuftioris Hebraïci communem cum hodierno originem, at fimul haud exiguam faepe differentiam fuisfe, docent vetera quaedam monumenta ab Eruditis collecta (*e*). Tandem vero variis modis mutatum et elegantioribus formis pingi coeptum fuisfe alphabetum Hebraïcum, hoc quidem com-

commune omnibus omnium literarum populis cultioribus uſitatarum fatum docet, donec tandem paullatim eam nactae ſint Hebraeorum literae formam, quam nunc habent: cui accedit etiam hoc, populos orientales, et in his etiam Iudaeos calligraphiae ſemper valde ſtudioſos fuisſe (*f*).

(*a*) Conf. *G. Kuypers*, in notis ad verſionem Belgicam itinerarii Equitis *D' Arvieux*, *pag.* 75, cui vero, exiſtimanti, etiam Patriarchis ignotam prorſus fuisſe artem ſcriptoriam, non asſentior.

(*b*) Bene hoc praeter alios monuit *Bauerus*, *crit. ſ. pag.* 121, cui add. *Michaëlis*, ad *Gen.* XXIII, 16.

(*c*) Sic literae Hebraeae, Syriacae et Arabicae, valde quidem hodie differunt; at communem tamen originem luculenter testantur. Characteres etiam literarum Graecarum quamvis a Phoeniciis hodie diverſisſimi, Phoeniciam tamen originem clare oſtendunt. Immo de literis Hebraeis ſua aetate ſcribit *Hieronymus*, *Opp. Tom.* III, *col.* 842 „caligantibus oculis ſenectute ad nocturnum lumen nequaquam valemus Hebraeorum volumina relegere, quae etiam ad ſolis dieique fulgorem *literarum parvitate* coecantur: — quae verba clare docent, Hieronymi aetate valde exilem fuisſe literarum Hebraïcarum figuram, adeoque ab illa, quae iam obtinuit, quaeque ſaltem parvitate moleſta non est, longe diverſam.

(*d*) Huius rei infra plura nobis incurrent exempla, e quibus apparebit permutatas fuisſe aliquando e. c. א et ה, א et ר, ל et צ, ד et ז, etc.

(*e*) Conf. *Montfauconii*, *Palaeogr. Graeca*, *pag.* 118 ſeqq. et *Büttners Vergleichungstafeln der Schriftarten verſchiedener Völker*, (Gott. 1771), Tab. II, num. 1.

(*f*) Quae hac § dicta ſunt docent igitur luculentisſime, vanam esſe disputationem, olim inter Eruditos agitatam, utrum character literarum quadratus, quo iam utimur, quoad ſubſtantiam ſuam, idem ſit, ac ille, quo Moſes ac Prophetae uſi ſunt, an vero ille demum ſuccesſerit tempore captivitatis Babylonicae vetuſtiori Samaritano. Quam quaeſtionem bre-

breviter pertractavit post multos alios *Bauerus*, *l. c.*, *pag.* 111 feqq.

Certisfime neque Samaritanis neque quadratis literarum characteribus convenit iſte antiquitatis honor. Veſtigia enim alphabetorum veterum Phoeniciorum, Palmyrenorum etc. ab eruditis collecta clare oſtendunt communem formae literarum Orientalium originem, quae vero labente tempore varias fubierunt mutationes. Conf. Auctores, citati ab *Eichhornio*, *Introd. in V. T.*, § 66, *not.* c, quibus add. *I. B. Bianconi*, *de antiquis literis Hebraeorum* et *Graecorum libellus*, Bononiae, 1748, 4°. *Michaëlis*, *Orient. und Exeget. Bibl.*, *Tom.* VIII, *pag.* 7 feqq. X, *pag.* 129 feqq. XXII, *pag.* 112 feqq. *A. T. Hartmann*, *Linguiſtiſche Einl. in das Studium des A. T.*, *pag.* 12—17. Conferri etiam posſunt nummi Punici et Phoenicii apud *Dorvillium*, in *Siculis*, *Tom.* II, *Tab.* I, *num.* 4, 5, 6, ac monumenta Phoenicia, fupra iam citata, a cl. *Hamakero* edita.

Tandem Hebraeos literis Samaritanis ufos non fuisfe, apparet e numis quibusdam eorum e tempore Maccabaïco fuperſtitibus, qui characterem impresfum habent et ab hodierno et a Samaritano alienum. Conf. de iis *G. Fabricy*, *Titres primitifs de la revelation*, *Tom.* I, *pag.* 106 feqq. *not.* Scriptoresque ab eo citati. Imprimis lectu dignae funt *Adr. Relandi*, *De nummis veterum Hebraeorum, qui ab inſcriptarum literarum forma Samaritani appellantur, disſertationes quinque*, Traiecti ad Rhenum, 1709, 8°.

§ 14.

De numero literarum Hebraïcarum quaedam obſervantur.

Haud convenit inter Eruditos, utrum omnes, quae iam alphabetum Hebraicum conſtituunt, literae, ab origine adfuerint, an potius quaedam recentioris fint inventionis: cum enim e traditione vetuſta Cadmus fedecim tantum literas Phoenicias in Graecam intulisfe dicatur, nempe α, β, γ, δ; ε, ι, κ, λ, μ,

μ, ν, ο, π, ρ, σ, τ, υ, ex alphabeto Phoenicio defumtas; efficiunt hinc aliqui, etiam antiquisfimum alphabetum Hebraicum non plures habuisfe literas, quam quae his fedecim refpondent, quae vero quales fuerint, in literis quidem α, β, γ, δ, ι, κ, λ, μ, ν, π, ρ, σ, τ, haud obfcurum, in literis autem, ε, ο, υ dictu est difficilius (*a*).

Nos quidem ad hanc quaeftionem fequentia obfervamus.

1) E comparatione alphabeti, five Hebraei, five Phoenicii cum antiquisfimo illo Cadmaeo Graeco nihil hac de re effici potest; licet enim verum fit, antiquisfimum illud alphabetum Graecum fedecim tantum literas continuisfe; hoc aeque potuit inde oriri, quod Graeci reliquis literis Phoeniciis pronunciandis idonei non fuerint, ac inde, quod literae illae in alphabeto Phoenicio nondum tunc adfuerint (*b*).

2) Vel fic tamen haud improbabile est, quasdam literas a prima inde origine in alphabeto Hebraïco non adfuisfe, fed feriore demum tempore perficiendae et ad maiorem *ακριβειαν* perducendae pronunciationis caufsa inventas, eique additas fuisfe. Sic forte literarum ז et צ, כ et ק, ס et ש alterutra recentioris est originis, fimili fere modo, uti locum habuit in literis Graecis θ, φ, χ, ξ, quae a Palamede, tempore belli Troiani, et ζ, ψ, η, et ω, quae a Simonide Ceo annis circiter ante Chriftum natum DXXX inventae fuisfe dicuntur (*c*).

3) Licet hoc ita probabiliter fe habeat, certisfimum tamen est, alphabetum Hebraïcum Davidis iam aetate ita conftitutum fuisfe, prouti fe nunc habet; eo folo excepto, quod שׁ et שׂ pro una litera habitae fuerint, quaemadmodum e pfalmis Davidis alphabeticis quam luculentisfime conftat.

(*a*) Est haec ſententia e. c. *Bayeri*, *De nummis Hebraeo-Samaritanis*, *pag.* 228, et *Bellermanni*, *Bibliſche Archaeologie*, *Tom.* I, *pag.* 65 ſeqq. qui tamen male argumentantur e defectu quarundam literarum in nummis et monumentis quibusdam Phoeniciis et Hebraeis, utpote quae recentioris ſunt aetatis, neque tanto adhuc numero exſtant, ut totum inde alphabetum vetus effici posſit.

(*b*) Conf. quae hanc ad rem recte notavit *Hartmannus*, *l. c.*, *pag.* 18, 19.

(*c*) De vetuſtisſimo alphabeto Graeco, literisque, ei a Palamede ac Simonide additis, vid. *Spanheim*, *De praeſt. et uſu numiſm.*, *Tom.* I, *Disſert.* II. *Montfaucon.*, *Palaeogr. Gr.*, *pag.* 553 ſeqq. *Hemſterhuſius*, *ad Luciani iudicium vocalium*, *Opp.*, *Tom.* I, *pag.* 88 ſeqq. *Bentleius*, in *disſertationibus Phalaridaeis*, *pag.* 132, 133 editionis Lennepianae, et *Harleſs*, not. ad *Fabricii*, *Bibl. Gr.*, *Tom.* I, *pag.* 198 ſeqq, et maxime *pag.* 201.

§ 15.

Puncta Hebraeorum vocalia.

De antiquitate et origine punctorum linguae Hebraeae vocalium diu olim multumque diſputatum est, cum alii et quidem plerique, ea literis ad aetatem paria, alii recentiore tempore demum inventa ſtatuerint (*a*). Quamquam nunc quidem nemo inveniatur, qui non adtribuat hodiernis punctis vocalibus aetatem ſaeculo post Chriſtum natum VI haud antiquiorem; multa tamen adhuc remanent in quaeſtione, utrum Veteres Hebraei vocalium ſignis prorſus caruerint, propter defectum veterum teſtimoniorum, incerta. Quae hac de re probabiliter dici posſe videntur, huc redeunt.

Antiquisſimo tempore, cum vivus esſet linguae Hebraeae uſus, nulla fuisſe videntur ſigna, vocales indicantia; etenim

1)

1) Et Arabes et Syri vocalium fignis per multa olim faecula caruerunt, et carent iis adhucdum hodie alphabeta Samaritanorum ac Sabiorum (*b*).

2) Certisfime conftat, interpretes antiquos omnes Codicibus ufos fuisfe vocalium notis non infignitis (*c*).

3) Origenem, qui faeculo tertio floruit, cum textum Hebraicum in Hexaplis literis Graecis defcriberet, exemplari ufum fuisfe, vocalium notis carente, inde apparet, quod multis vocabulis fubiecerit vocales ab hodiernis diverfisfimas (*d*).

4) Neque vocalium figna cognita faeculo IV fuere Hieronymo, utpote qui folarum literarum mentionem facit, vocalium mentione neglecta, etiam tunc, cum facillima earum commemorandarum ipfi daretur occafio (*e*).

5) Accedit etiam hoc, ipfos Iudaeos, quamquam eorum plerique punctorum hodiernorum vocalium originem ad ultimam evehant antiquitatem, re tamen vera multa dare indicia, quae falfi arguant hanc eorum opinionem: nulla enim in Thalmude, Mischna aut Gemara vocalium fit mentio, fed potius exempla infunt, probantia punctorum illorum ignorationem (*f*). Praeterea varietates, quas collegerunt, lectionis non in vocalibus, fed in folis verfantur confonantibus; argutiae in fuper Cabbalisticae e folis literis derivantur, licet et vocalium mutatio vel transpofitio talibus ineptiis egregie inferviisfet; in fynagogis porro Codice utuntur Pentateuchi non punctato, ut fic adumbrent ipfum Mofis *αυτογραφον* in arca repofitum (*g*). Denique funt et inter ipfos Iudaeos aliqui, qui punctorum vocalium originem a Maforethis Tiberienfibus derivent (*h*).

Deinde autem haud improbabile est, in gratiam rudiorum, quibusdam vocibus, in quibus diverfa pro-

nunciatio diverſum uſum efficere posſet, puncta quaedam addita fuisſe, quae pronunciationem definirent; talium ſaltem punctorum exempla apud *Hieronymum* et in *Talmude* iam exſtant in quibusdam locis, quae, niſi hoc asſumatur, vix expediri posſent (*i*). Ex his diacriticis probabiliter deinde paullatim orta fuere ſigna vocalium, quae vero primo tempore non quinque, nedum decem, ſed tantum tres fuisſe videntur, ſonos *a*, *e* et *o* indicantia. Hoc ſaltem primo veroſimile fit e dialecto Arabum, qui tres has tantum habent vocales, a Syris acceptas, qui itaque ipſi plures non habuerunt (*k*): idemque probant mutationes vocalium Hebraearum, nobis iam cognitae, quae omnes cadunt in tres vocales primitivas, *a*, *e* et *o*. Sicut enim ſcheva cum his tribus vocalibus componitur, ita tres hae vocales conſtituunt terminationem verborum apud Hebraeos, aeque ac apud Aramaeos et Arabes, denique etiam, ne alia adferamus, formae nominum Segolatae ad tres originales formas פַּקְדְ, פֻּקְדְ, פִּקְדְ apud Hebraeos aeque ac apud Arabes reducuntur (*l*).

Hae autem tres vocales principes, vel ſimplices, tribus procul dubio diverſis, ſed iam incognitis ſignis expresſae, deinceps varias ſuſceperunt mutationes, prouti continuo magis Grammatici Hebraei linguae ſubtilius limandae operam dederunt: primo nempe cum *a* etiam in quibusdam vocibus tamquam *e*, porro *e*, aliquando tamquam *i*, tandem *o* nonnumquam ut *ou* vel et *u* pronunciaretur, ſub clasſe *a*, ſeu *phata* Arabico comprehenderunt vocales Kamets, Patach, Segol, ſub clasſe *e* Tzeri, Chirek, et aliquando Segol, ſub clasſe *o* Cholem, Schurek, Kametschatuph et Kibbuts, atque ſic decem formarunt vocales, decem procedente tempore diverſis figuris expres-

presſas, uti et apud Arabes obtinet in viva pronunciatione, apud quos eaedem decem pronunciationis modificationes obtinent, licet tribus tantum ſignis, *Phata*, *Kesra*, et *Damma* deſignatae. Neque vero ſic contenta Grammaticorum Hebraeorum ſubtilitas, ut citatiorem protractioremve harum vocalium pronunciationem etiam oculis ſubiiceret, notas vocalium longarum et brevium invenit, ſuisque ſingulas nominibus inſignivit, additis etiam *Schevatum* figuris, literas, nullam habentes vocalem, indicantibus (*m*).

Apparet ex iis, quae hactenus diſputata ſunt,

1) Aetate ſcriptorum Veteris Foederis longe recentiorem esſe Vocalium et Schevatum linguae Hebraeae originem,

2) Illud punctorum vocalium artificium ſenſim a tenuioribus initiis auctum, magisque continuo limatum fuisſe, licet quo tempore ſingula augmenta illa acceperit, definiri non posſit; cum hoc unum conſtet, primam vocalium mentionem fecisſe ſaeculo XI Aäronem Ben Aſcher, et Iacobum Ben Naphtali, quod indicio est, ſaeculo XI iam vocalibus inſtructam fuisſe linguam Hebraeam, easque ea periodo uſurpari coepisſe, quae a ſaeculo VI ad XI procedit.

3) Deberi illud, prouti nunc ſe habet, ſubtili Grammaticorum Iudaicorum ingenio, talibus minutiis lubenter occupato,

4) Systhema illud, prouti a Grammaticis Iudaeorum nobis traditum est, et in Codicibus Msſ. editionibusque reperitur, ſaeculo IV nondum locum habuisſe; ſed deinceps demum, postquam lingua Hebraea viva esſe deſierat, paullatim, ut vera mortuae linguae pronunciatio conſervaretur, a doctoribus Iudaeorum Maſorethicis et aliis expolitum, atque ad eas, quibus iam adſtrictum est, regulas, exactum fuisſe,

5) illud ex una quidem parte nobis univerſe exhibere pronunciationem antiquiorem, quippe in iis, quae dubia esſent, iam antea notis quibusdam indicatam traditioneque propagatam (*n*), ex altera autem parte vocales haud raro conformatas esſe ad pronunciationem Iudaeorum recentiorum, cum pro ſorte omnium linguarum, tum et per varia gentis illius, inter peregrinos verſatae, multisque calamitatibus afflictae, vicisſitudines, ſaepius a veteri proavorum pronunciatione haud parum ſine dubio diverſam.

(*a*) Controverſiae huius hiſtoriam et argumenta utrimque allata exhibet *Bauerus*, *l. c.*, *pag.* 128 ſeqq. Add. *Waltoni*, *Proleg.*, *pag.* 125 ſeqq. edit. *Dathii*, Auctores, citati ab *Eyringio* ad *Heumanni Conſpect. Hiſt. lit.*, *Tom.* I, *pag.* 309, *Bellermann*, *Bibl. Archeologie*, *Tom.* I, *pag.* 77 ſeqq. et *I. C. W. Auguſti*, *Grundriſs einer historisch-kritiſchen Einleitung in 's Alte Teſt.*, § 26. *G. Fabricy*, *l. c.*, *Tom.* II, *pag* 307 ſeqq. imprimis conferri meretur *A. T. Hartmann*, *l. c.*, *pag.* 100—113.

(*b*) De antiquitate vocalium apud Arabes vid. *A. Schultens*, *Clau. dialect.*, *pag.* 322 ſeqq. Conf. porro *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 140, 141.

(*c*) Exempla hoc probantia collegit praeter alios *Bauerus*, *l. c.*, *pag.* 137 ſeqq. et *Jahn*, *Einl. in 's A. T.*, *Tom.* I, *pag.* 332.

(*d*) Editio *Hexaplorum Origenis*, procurata a *Montfauconio*, quam deinceps mutilavit et foedisſime corrupit nova ſua editione *C. F. Bahrdt*, hoc quavis fere pagina docebit. Exemplum ſatis perſpicuum attulit *Eichhorn*, *Introd. in V. T.*, § 68, *Tom.* I, *pag.* 155 editionis tertiae. Plura exempla ſuppeditat *Jahn*, *l. c.*, *pag.* 333.

(*e*) Exempla vid. apud *Bauerum*, *l. c.*, *pag.* 139, *Eichhornium*, *l. c.*, *pag.* 156. et *Jahnium*, *l. c.*, *pag.* 333, 334.

(*f*) Conf. exempla apud *Waltonum*, *l*, *c.*, *pag.* 135, 136, 137, et ex eo apud *Bauerum*, *l. c.*, *pag.* 139, et *Jahnium*, *l. c.*, *pag.* 334, 335.

(*g*)

(*g*) Conf. huc imprimis *Waltonus*, *l. c.*, *Cap.* III, § 41, *pag.* 131 ſeqq. quocum conf. *Bauerus*, *l. c.*, *pag.* 141, 142.

(*h*) Conf. *Waltonus*, *l. c.*, *Cap.* III, § 42, *pag.* 134, 135.

(*i*) Exempla quaedam attulit *Eichhornius*, *l. c.*, § 68, *pag.* 156, 157, quocum imprimis conf. *Jahn*, *l. c.*, § 96.

(*k*) Conf. *Bauerus*, *l. c.*, *pag.* 146 ſeqq. auctoresque ab eo citati.

(*l*) Breviter hoc probavit *Eichhornius*, *l. c.*, *pag.* 162 ſeqq. et uberius *Trendelenberg*. in *Repertorio Eichorniano*, *Vol.* XVIII. *pag* 78 ſeqq. ſunt quidem, qui ante vocalium hodiernorum inventionem vocalium loco uſurpatas putent, non notas quasdam, ſed literas אהוי; quorum ſententiam recte refellit *Jahn*, *l. c.*, § 95. Dubium vero est argumentum quod pro tribus vocalibus petitus ex libro Iudaïco *Cozri*, cuius auctor vixit ſaeculo XII; uti docuit *Eichhornius*, *l. c.*, *pag.* 192, not. et *Bauerus*, *l. c.*, *pag.* 148 ſeqq.

(*m*) De invento post vivum demum linguae uſum *Schevatum* in pronunciando auxilio conf. *A. Schultenſius*, *Inſtitut. ad fund. linguae Hebraeae*, *pag.* 73.

(*n*) Conf. *G. Fabricy*, *l. c.*, *Tom.* II, *pag.* 312 ſeqq.

§ 16.

Accentus et puncta diacritica.

Accentuum hodiernorum originem non ad illud adſcendere tempus, quo vivus erat linguae Hebraeae uſus, apparet inde, quod non tantum nulla eorum tunc erat utilitas, verum etiam nullum eorum neque in Thalmude, neque apud Origenem, neque apud Hieronymum, reperitur indicium.

Quamquam autem eorum ortus et hiſtoria in obſcuro lateat; tamen, cum olim eximios in re muſica progresſus iam antiqua aetate, imprimis tempore Da-

vidis, fecerint Hebraei, haud improbabile est, figuras, non quidem omnium, sed quorundam saltem accentuum, origine fuisse notas musicas, primum solis cantionibus appositas, ut vocis instrumentorumque tonum moderarentur, postea vero etiam libris prosaïcis, ut regerent cantui adfinem vocis modulationem, qua et caeteri Orientales in libris legendis, et adhuc Iudaei in legendo Codice Sacro et recitandis precibus uti solent. Tandem vero et hi accentus novis aucti sunt signis, quae interstinctionibus indicandis adhibita sunt (*a*).

Neque antiquior est origo ceterorum punctorum diacriticorum, qualia sunt Dagesch, signa literae שׂ et שׁ, Makkaph et similia, quippe quae vivus linguae usus minime desiderabat, et quorum nulla neque in Thalmude, neque apud Origenem, neque apud Hieronymum exstant vestigia (*b*).

(*a*) Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 71. *Bellermann*, *l. c.*, *pag.* 98 sqq. auctoresque ab iis citati *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 157, *Jahn*, *l. c.*, § 97. et iam ante illos *A. Schultens*, *Inst. ad fund. L. H.*, § 20, 21, 22.

(*b*) Conf. *Bellermann*, *l. c. Eichhorn*, *l. c.*, § 72 et 125. *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 155 sqq.

§ 17.

Voces in scribendo non distinctae a veteribus Hebraeis.

Prouti antiquitus Graeci ac Latini (*a*), ita et Hebraei antiquissima aetate absque ulla divisione continua serie literas vocesque scribere soluerant, uti non e veteribus tantum nummis Hebraïcis, et inscriptionibus Palmyrenis, apparet (*b*), verum et multis probari potest antiquissimorum interpretum translationi-

onibus, qui ſaepe vocum diviſionem inſtituerant a Maſorethica valde diverſam (*c*). Suffragatur etiam traditio Rabbinica, legem olim fuisſe unum פסוק (*verſum*) et unam תיבת (*vocem*).

Quando vero primum in Msſ. voces dividere coeperunt Hebraei, certo dici nequit: hoc unum conſtat

1) veteres interpretes omnes Codicibus uſos esſe continua ſerie ſcriptos,

2) reperiri adhuc Codices, recentiores, e. c. ſaeculi XIII in quibus eadem ſcribendi ratio exſtat, e. c. Codex 290, et 293 Kennicotti (*d*),

3) iam aliqua vocum diviſionis veſtigia reperiri apud Thalmudiſtas et Hieronymum, uti § 18 dicetur.

(*a*) Conf. *Montfaucon*, *Palaeogr. Gr.*, *L.* I. *C.* IV, *pag.* 32, et *Kennicotti*, *disſert. gen.*, § 28.

(*b*) Vid. *Bellerman*, *l. c.*, *pag.* 102, *not. s.* *Kennicottus*, *l. c.* *Eichhorn*, *l. c.*, § 73, 75.

(*c*) Multa exempla attulit *Hasſencampius*, in *Erinnerungen gegen Herrn D. Kennicotts Anmerkungen uber* 1 *Sam.* VI, 19. Frankf. und Lepizig 1780, *pag.* 69 ſeqq, et iam ante eum *Cappellus*, *Crit. ſacr.*, *L.* IV, *C.* XIII, § 2, 3, 4.

(*d*) Specimina horum Codicum adiecta ſunt editioni Brunſianae *disſertationis generalis Kennicotti.*

§ 18.

Origo et uſus antiquus literarum finalium.

Cum ſcriptione continua, vocum diviſionibus carente, prima fronte vix conciliari posſe videtur uſus quinque literarum finalium ך, ם, ן, ף, ץ. Quamquam autem et earum origo in obſcuro lateat, hoc tamen certo dici poteſt, illas ex una parte in codicibus Hebraeis, e quibus confecta eſt verſio Graeca-

Alexandrina vocabulorum fini designandae nondum fuisse adhibitas, ex altera vero parte iam Thalmudistarum et Hieronymi aetate usitatas fuisse, e quo conficitur, iam tunc, in quibusdam saltem vocibus, aliqua distinctionis indicia apparere, quemadmodum et vestigia illarum literarum conspiciuntur in inscriptionibus Palmyrenis. Omnium maxime probabilis esse videtur opinio, literas illas primum eo fine inventas fuisse, ut numeros quadringentis maiores, qui alphabeti literis exprimebantur, significarent, deinde vero, postquam continua scriptio cessavit, finalium demum usui adaptatas fuisse.

Plura de quaestione, utrum Hebraei numeros per literas designaverint, itidemque de usu literarum finalium numerali infra dicentur. Conf. interim *Eichhorn*, *l. c.*, § 74 et *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 194, 195.

Cum iis, quae de finalibus literis a nobis dicta sunt, congruit sententia cl. *Pareau*, *Inst. int. V. T.*, *p.* 27, *Obs.* 4.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

HISTORIA TEXTUS SACRI HEBRAEI.



§ 19.

Hiſtoriae textus ſacri Hebraei pertractandae necesſitas ac difficultas.

Ut rite conſtet, quid Critico in textu Hebraeo agendum ſit, omnino in antecesſum conſtare debet, quaenam textus illius conditio ſit, id est utrum integer an corruptus ad manus noſtras pervenerit, et ſi aliquam contraxerit corruptionem, utrum ea tanta ſit, ut, ſi res ſumma ſpectetur, *integer* tamen dici queat, an minus. Hac vero de re quid ſit, perſpectum nobis esſe nequit, niſi e tali textus huius hiſtoria, quae fata eius ab ultima, quantum fieri potest, antiquitate ad noſtrum usque tempus enarret; qualis vero hiſtoria, maxime in quantum ad antiquiora tempora ſpectat, propter defectum veterum monumentorum ac fidem ſaepe valde ſubleſtam traditionem Iudaïcarum magnis premitur difficultatibus ac non niſi imperfectisſime tradi potest.

§ 20.

Historia huius periodi.

Ut vero, quantum in summa hac rei difficultate fieri potest, recte historia ista pertractetur, eam in quatuor periodos distribuemus, quarum prima decurret a librorum horum scriptione ad aetatem Iesu Christi, secunda ab aetate Iesu Christi ad tempus Masoretharum, tertia a Masoretharum tempore ad inventam artem typographicam, denique quarta ab inventa arte typographica ad nostram aetatem.

PE-

PERIODUS PRIMA,

a librorum Codicis Hebraei scriptione ad aetatem Iesu Christi.

§ 21.

Hiſtoria antiquisſima Pentateuchi.

Incipimus a Pentateucho, utpote de cuius antiquisſima hiſtoria plura novimus, quam de reliquis libris Veteris Foederis. Hic, postquam leges populo esſent praelectae, ad latus arcae in ſanctuarii adyto, tamquam inſigne κειμηλιον adſervabatur. *Deut.* XXXI, 24, 25, 26. Deinde vero ex autographo Moſis plura exemplaria fuisſe deſcripta, et per varias regionis Israëliticae partes disperſa, inde probabiliter colligitur, quod praecepit Moſes, ut ſecundum leges, Pentateucho comprehenſas, populus iudicaretur, ac Pentateuchus quovis ſeptimo anno populo praelegeretur. Ipſum quoque Moſis autographum primum in tabernaculo, deinde fortasſe in templo repoſitum, ac, turbulentis reipublicae Israëliticae temporibus, in eodem templo reconditum, tempore Ioſiae, ab Hilkia, Summo Pontifice, denuo repertum videtur. 2 *Reg.* XXII, 8. 2 *Chron.* XXXIV, 14 (*a*). Dubitari nequit, quin ex hoc exemplaria deſcripta fuerint, ea-

eaque, quae ſupererant, ſi alicubi corrupta eslent, ad illius fidem emendata ſint. A Ioſiae tempore usque ad exſilium Babylonicum codices Pentateuchi adfuisſe, e citationibus eius apud Ieremiam luculenter apparet: in ipſo deinde exſilio Pentateuchi meminit Daniel *Cap.* IX, 11. Praeterea et alia recenſio Pentateuchi diu ante natum Chriſtum facta est a Samaritanis, quae, ad noſtram usque aetatem ſervata, in quibusdam quidem locis haud parum differt a textu Iudaïco, in univerſum tamen accurate cum illo convenit. Annis porro 285, vel 286 ante natum Chriſtum Pentateuchus, uti deinde videbimus, in linguam Graecam translatus est, et hoc etiam ita, ut, ſi quaedam vitia excipiantur, manifestum fiat, textum, unde confecta est haec interpretatio, cum noſtro textu convenisſe.

Tandem, erectis per univerſam regionem Israëliticam ſynagogis, in quibus lex Moſaïca publice praelegebatur, necesſe erat, ut plura exemplaria Pentateuchi deſcriberentur. Quod anſam dedit Antiocho Epiphani, ut legis libros, ſi qua inveniebantur, discerptos concremari iuberet, omnesque, penes quos librum legis inveniret, aut quos legi favere animadverteret, ad mortem condemnaret, 1 *Maccab.* I, 56—59, ſed quae violentia cum per Iudaeorum conſtantiam, tum et ideo quia tot exemplaria deſcripta erant, in uſus ſynagogarum, ut nullo modo omnia exemplaria interire posſent, hunc habuit effectum, ut Antiochus conſilium ſuum non obtinuerit. Contra longe est probabilius, et cum ipſa hiſtoria convenientius, infauſtas ipſas Antiochi eiusque ſuccesſorum vexationes, acrius excitasſe Iudaeos, ut eo ſollertiorem legis ſervandae curam gererent, quo vehementius contra illam ſaeviretur (*b*).

(*a*)

(*a*) Conf. *Kennicott*, *dissert.* II, *pag.* 289 seqq. et *Eichhorn*, *l. c.*, § 411.
(*b*) Conf. *Fabricy*, *l. c.*, *Vol.* I, *pag.* 68, et *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 200.

§ 22.

Antiquissima reliquorum librorum Codicis Hebraei historia ante exsilium Babylonicum.

Fata reliquorum Codicis Hebraei librorum prorsus ignota nobis sunt.

Sine dubio autographa, antiquissimo tempore in vulgus edita, sive illa Auctorum manu exarata, sive ab iis fuerint aliis dictata, graviorum mendarum immunia fuerunt, licet vitia calami errantis, vel e quibusdam male auditis orta, etiam in ipsa autographa irrepere potuerint.

Praeterea et autographorum saepe plures erant editiones, ab ipsis auctoribus procuratae (*a*).

Quamquam dubitari nequeat, quin ab omni aetate Israëlitae libros hos, qui vel gentis suae historiam, vel sacra carmina, vel praecepta moralia, vel vaticinia de rebus futuris, sermonesque Prophetarum continerent, summa prosecuti fuerint veneratione; haud tamen probari potest, illos iam ante captivitatem Babylonicam in unum corpus collectos, atque in templo asservatos fuisse; quod enim de asservatis in templo libris sacris sua aetate dicit *Iosephus*, *Ant. Iud.* III, 1, 7, iam antiquissima etiam aetate obtinuisse, nullo argumento evinci potest (*b*).

Contra probabilius est, autographa labente tempore periisse, ac deinde libros sacros saepius descriptos fuisse; quo pacto fieri non potuit, quin variis scribendi vitiis continuo via aperiretur, simili fere mo-

modo, uti et in libri Novi Foederis factum est, antequam in unum corpus colligerentur (*c*).

(*a*) Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 82. *Pareau*, *p.* 48 ſqq.
(*b*) Conf. de hoc Ioſephi loco *Fabricy*, *l. c.*, *pag.* 63 ſeqq. auctoresque, ab eo citati.
(*c*) Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 87.

§ 23.

Hiſtoriae huius continuatio usque ad aetatem Ieſu Chriſti.

Tempore captivitatis Babylonicae libros hos perditos non fuisſe, certum est, cum per venerationem, qua Israëlitae ſemper eos proſecuti ſunt, tum et per ſtudium virorum quorumdam inter Israëlitas divinae legis amantiorum, in quibus praeſertim eminuit Ezras, cui nec Pentateuchum, nec prophetarum vaticinia, nec carmina Davidica ignota fuisſe, apparet ex libri eius *Cap.* VII, 6, 10 et III, 10; immo qui, quin ſummam habuerit librorum ſacrorum curam, dubitari non potest ideo, quia omne ſtudium collocavit in docenda populum religione avita. Eum vero una cum viris ſynagogae, quae dici ſolet, magnae libros ſacros in unum corpus, ſeu in *canonem* collegisſe, fabella est Iudaïca, quae omni veri fundamento deſtituta est (*a*). Immo potius prorſus incertum est, quando et a quibus libri ſacri in unum corpus colligi coeperint, et quando collectioni tali finis ſit impoſitus, utpote qua de re duo haec tantum conſtant, tempore Maccabaeorum colllectioni huic adhuc quosdam Pſalmos additos fuisſe (*b*), partim, uti deinde patebit, tempore Ieſu Chriſti certum iam fuisſe librorum ſacrorum catalogum; e quibus omnibus hoc effici posſe videtur, collectionem iſtam iam fa-

factam fuisſe ante Chriſti nativitatem. Neque etiam quidquam dici potest de cura, quam collectores hi ad hoc negotium adhibuerint, et quam in uſu Codicum et in eligendis lectionibus, ſi quando variarent, adhibuerint prudentiam: utpote qua de re duo tantum haec tenenda esſe videntur, ex una parte illos quidem admodum ſollicite ſcripta, quibus nihil iis ſanctius haberetur, tractasſe, ex altera autem parte, per conditionem hominum illius aetatis, artis criticae haud peritorum, ſaltem obnoxiorum errandi periculo, vix fieri potuisſe, quin illi multa neglexerint, quae boni critici deſiderarent, et in eligendis lectionibus variantibus plus ſemel a vero aberraverint.

Etiam poſterioribus temporibus ſacrum Codicem diligentisſime cuſtoditum, et magna cura eius exemplaria identidem deſcripta fuisſe, dubitare non ſinit ſumma illa erga eum veneratio, quae, teſte *Ioſepho contra Apionem*, I, 8, omnibus Iudaeis a longo iam tempore congenita esſet, et quae esſet tanta, ut ei nihil neque addere, neque demere auderent (*c*). Immò haec ipſa Iudaeorum erga hos libros, argumentumque iis contentum veneratio certe nos perſuadet, etiam gravisſimas eorum, tempore Maccabaïco vexationes uti univerſum religionis avitae amorem, ita et horum librorum conſervandorum et purè deſcribendorum curam magis inflammasſe, quam exſtinxisſe (*d*).

Neque tamen hoc ita intelligendum est, ac ſi cura haec omnes mendas a Codicibus Hebraeïs averterit; contra quo ſaepius deſcripti ſunt Codices in uſus ſynagogarum, maxime postquam Iudaei, ut edictum Antiochi Epiphanis, lectionem Pentateuchi in ſynagogis interdicentis, eluderent, in iis etiam alios libros ſacros legere incepisſent, eo magis una cum

aucto Codicum Msf. numero aucta fuerunt vitia illa, quae a librariis proficisci folent.

Denique, quaenam textus Hebraei conditio fuerit ultima huius periodi parte imprimis apparet e verfione Graeca Alexandrina, quae annis circiter 280 ante Chriftum natum confici coepta est, quippe unius verfionis cnm textu Hebraeo collatio luculenter docet, iam tunc Codices Hebraeos fuisfe, in quibus varia esfent librariorum vitia, multaeque lectiones, a lectione hodierna textus Hebraei haud parum differentes, quemadmodum deinde variis exemplis clarius apparebit (*e*).

(*a*) De fabula fynagogae magnae quaedam dicta iam funt § 3. Refutarunt eam imprimis *I. E. Rau*, in *Diatribe de Synagoga magna* edita *Traiecti ad Rhenum*, 1726, et brevius *Aurivillius*, *Disfertationum*, a cl. *Michaëlis* editarum, *pag.* 139 feqq. Recentisfimum, quantum fcimus, defenforem ea nacta est *Gabrielem Fabricy*, *l. c.*, *Tom.* I, *pag.* 87 feqq. not., fed argumentis ufum parum certis. Aliquid tamen veri fabulae huic fubesfe, exiftimat *Iahn*, *l. c.*, § 105, *pag.* 379, uti et *Pareau*, *Int. V. T.*, *p.* 54.

(*b*) Conf. quae dicta a nobis funt in prolegomenis ad translationem noftram Belgicam libri Pfalmorum, pag LXVII.

(*c*) Conf. de hoc teftimonio Iofephi *G. Fabricy*, *l. c.*, *Tom.* I, *pag.* 132, *not.* (4). Idem testatur *Iofephus*, *Ant. Iud.* V, 1, 17.

(*d*) Hanc fententiam recte etiam adverfus *Kennicottum*, aliter fentientem, defendit *Bauerus*, *l. c.*, *pag.* 200.

(*e*) Conf. *Bauerus*, *l. c.*, *pag.* 201, 202, 203. Varias lectiones quamplurimas textus Hebraei, quae colligi posfunt e verfione Graeca Alexandrina, ad clasfes aliquas redactas, exhibuit *Capellus*, *Crit. S. Lib.* IV, *Cap.* I—XV. De indole et valore huius verfionis dicetur inferius. Caeterum de ea univerfa vid. *Pareau*, *Inft. int. V. T.*, *pag.* 72 feqq.

PE-

PERIODUS SECUNDA,

ab aetate Iesu Christi ad tempus Masoretharum.

§ 24.

Hiſtoria textus Hebraei ſaeculo primo.

Cum Iudaei, per varias regiones, quarum incolae Graeco utebantur ſermone, diſperſi esſent, et Graecam linguam quotidiano etiam uſu frequentarent, immo et cum exteris nationibus magis ac magis familiariter conſuefierent, eorumque etiam literis colendis librisque legendis operam darent; mirum non est post confectam verſionem Graecam Alexandrinam, eius uſum adeo frequentem factum fuisſe, ut fere negligeretur textus Hebraeus; quemadmodum vel inde apparet, quod Novi Foederis ſcriptores non tantum textum Graecum citarunt, verum et univerſam dictionem ſuam ad eius normam ita conformarunt, quemadmodum absque frequenti eius lectione fieri non potuisſet. Immo et in ſynagogis ſaepisſime lectam fuisſe verſionem Graecam certisſimis conſtat argumentis (*a*). Hancque auctoritatem verſionis Graecae imprimis augebat, fabula, ab ipſis Iudaeis orta, ſaltem credita, de divina huius verſionis origine. Similiter *Philo*, neglecto textu Hebraïco, ſolam verſionem

Alexandrinam ſequi, et ex ea loca ſcripturarum ſacrarum citare allegoriasque ſuas elicere ſolet (*b*), itidemque *Ioſephus*, quamquam illum non Hebraïcam tantum linguam intellexisſe, verum et Hebraïcum textum aliquando conſuluisſe, certum ſit, uti deinde videbimus (*c*).

(*a*) Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 166.
(*b*) Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 339*a*.
(*c*) Conf. interim *Eichhorn*, *l. c.* et *Iahn*, *l. c.*, § 90, quocum iungatur *Michaëlis*, *Orient. und Exegetiſche Bibliothek*, *Tom.* V, *pag.* 221 ſeqq. et *Tom.* VII, *pag.* 189 ſeqq.

§ 25.

Verſiones textus Hebraei, factae ſaeculo ſecundo.

Maius vero ſtudium in excolendo textu Hebraeo collocare inceperunt ſaeculo ſecundo Iudaei, illique e Chriſtianis, qui Iudaïsmum et Chriſtianismum coniungere ſtudebant, ſeu Ebionitae.

Inter Iudaeos *Aquila*, ſecundum traditionem pervetuſtam e gentili Chriſtianus ac deinde e Chriſtiano Iudaeus, qui imperante Hadriano vixit, textum Hebraïcum fere ad verbum Graece convertit, eiusque verſionis duas emiſit editiones, quarum altera presſius adhaerebat textui Hebraeo, quam prior, licet etiam illa textum Hebraeum ſerviliter exprimeret (*a*).

Praeterea circa idem fere tempus *Theodotion*, Ebionitarum, qui Chriſtiani erant Iudaïzantes, partibus addictus, libros ſacros convertit ita ut plerumque verſionem Alexandrinam ſequeretur, interpres ceteroquin Hebraïcae linguae exigua pollens notitia (*b*).

Denique Graece interpretatus est textum Hebraeum eadem fere aetate *Symmachus*, itidem Ebionita, ita ut ſenſum Codicis Hebraei liberius expresſerit,

ac ſimul elegantiae dictionis Graecae curam habuerit. Duas et ille, aeque ac Aquila, verſionis ſuae publicavit editiones (*c*).

Praeter Graecas verſiones commemoratas haud improbabile est, circa idem fere tempus publicatam fuisſe paraphraſin Chaldaïcam Pentateuchi, ab Onkeloſo, Iudaeo, ut probabile videtur, Babylonio conſcriptam (*d*).

Denique ſunt et multi qui Syriacam Veteris Teſtamenti verſionem, ex ipſo Hebraeo fonte procul dubio confectam ad hanc circiter aetatem referant; verumtamen cum prima eius mentio fiat apud Ephraëmum Syrum, qui anno 378 mortuus est; hoc tantum conſtat, verſionem hanc ſaeculo quarto antiquiorem esſe (*e*).

(*a*) Conf. *I. A. Dathe*, *Opusc.*, *pag.* 1 ſqq. *Eichhorn*, *l. c.*, § 184—190. *Iahn*, *l. c.*, *pag.* 174 ſqq. et *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 273 ſeqq.

(*b*) Conf. *Fabricy*, *l. c.*, *pag.* 148 ſqq. *Eichhorn*, *l. c.*, § 117 ſeqq. *Iahn*, *l. c.*, § 41. *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 278 ſeqq.

(*c*) Vid. *Fabricy*, *l. c.*, *pag.* 150 ſeqq. *Eichhorn*, *l. c.*, § 191 ſeqq. *Iahn*, *l. c.*, § 42. *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 276.

(*d*) Conf. *Iahn*, *l. c.*, § 46. *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 293 ſeqq.

(*e*) Vid. *Fabricy*, *l. c.*, *pag.* 355 ſeqq. auctoresque ab eo citati *pag.* 357, *not.* 3. quibus add. *Eichhorn*, *l. c.*, § 248 et *Iahn*, *l. c.*, § 51. Pluribus de hac verſione dicetur § 67.

§ 26.

Origenis de textu Hebraïco merita ſaeculo tertio.

Magna fuerunt ſaeculo tertio de textu Hebraïco merita *Origenis*, viri Hebraïcarum literarum, pro

 tem-

temporis ſui ratione, peritisſimi (*a*), qui, inductus Iudaeorum eo tempore asſertione, loca verſionis Graecae Alexandrinae, qua in disputando uti ſolebant, haud pauca vel non exſiſtere in textu Hebraeo, vel male translata esſe, vel in textu Graeco esſe corrupta, ut Chriſtianis conſtaret, quaenam et vere esſent et ab Iudaeis haberentur genuina, confecit celebre opus conſtans

1) textu Hebraïco, Hebraïcis literis exarato,

2) eodem textu, exarato literis Graecis, in gratiam eorum, qui Hebraïca legere non poterant,

3) verſione Aquilae,

4) verſione Symmachi,

5) verſione LXX interpretum,

6) verſione Theodotionis,

7 et 8) verſionibus duabus Graecis aliis, hodie ignotis, quas quintam et ſextam, et

9) in Pſalmis verſione quadam Graeca, quam ſeptimam vocat. Hos octo contextus totidem columnis, iuxta ſe poſuit, praeterquam quod forte in Pſalmis verſio ſeptima infra paginam collocata fuit: atque hinc opus hoc appellatum fuit nomine *Hexaplorum*, quia ſex complectebatur verſiones Graecas, vel et *Octaplorum* quia octo conſtabat columnis, iuxta ſe collocatis. Praeterea id quod in verſione LXX virali ſola reperiebatur, non vero in textu Hebraeo, obelisco, atque id quod apud LXX non reperiebatur, ſed ab Origene e Theodotione addebatur, asteriſco notabat (*b*).

Prima itaque hoc opere continebatur a Chriſtiano publicata editio textus Hebraei. E fragmentis autem, quae exſtant, operis huius apparet, iam tunc plerumque ceteris lectionibus praelatam fuisſe eam, quam et poſtea Maſorethae optimam iudicarunt.

(*a*) De eruditione Origenis Hebraïca conf. imprimis *Ernesti*, *Opusc. philol. crit.*, *pag.* 295 ſeqq.

(*b*)

(*b*) De Hexaplorum opere conf. e Vett. *Eusebius*, H. E. VI, 16. e recentioribus praeter *Montfauconium* in prolegomenis ad suam Hexaplorum editionem, *Iahn*, *l. c.*, § 38. *Kennicott*, *Dissert.* II, *pag.* 364 seqq. et alii, citati a *Saxio*, *Onomast. liter.*, *Tom.* I, *pag.* 358 et 586.

§ 27.

Iudaeorum ante Masoretharum aetatem labores, emendando textui sacro impensi.

Iudaeos quoque hoc tempore, immo iam diu ante plures Codices Msf. contulisse, variantes lectiones ex iis collegisse, et hic illic loca quaedam e Codicibus Msf. emendasse, non tantum apparet e tractatu Talmudico *Sopherim*, qui saeculo demum sexto conscriptus est, verum etiam e Talmudis Hierosolymitani, cui circa annum Christi CCLXXX finis impositus est, tractatu Taänith (*a*).

Praeterea in Talmude diserte iam quaedam classes variantium lectionum commemorantur; nempe

I. עטור סופרים i. e. *ablatio Scribarum*, quo pertinent quinque loca, quibus notatur, ו praefixum, quod in textu legebatur, esse delendum (*b*).

II. תיקון סופרים i. e. *correctio scribarum* continet emendationem 16, vel, uti alii enumerant, 18 locorum, quae, fortuito corrupta, librarii, e suo sensu integritati restituerunt (*c*).

III. Quindecim in textu sacro reperiuntur vocabula, quorum literis vel omnibus vel quibusdam punctula sunt superposita, quae, uti haud raro e collatione versionum vett. ac textus Samaritani apparet, notant, voces literasque illas a librariis in quibusdam Codicibus repertas non fuisse (*d*).

IV. In quibusdam locis textus nostri Masorethici

reperiuntur voces, in margine notatae, quarum ſolae vocales in textu leguntur, addita in margine hac nota קרי ולא כתיב i. e. *legatur, licet non ſcribatur*, et contra aliis in locis voces quaedam reperiuntur in textu, nullis punctis inſignitae, ad quas haec refertur nota marginalis: כתיב ולא קרי, *ſcribitur ſed non legatur*. Etiam hae igitur notae varietatem lectionis in Codicibus antiquioribus ac ſtudium textum emendandi produnt (*e*).

V. Evidentisſimum variationis Codicum, Maſora antiquiorum, argumentum praebent illae variantes lectiones, quae ſimpliciter קרי et כתיב appellantur, quae cum numero ſint aliquot centenae, et cum aliquando etiam ipſae varientur, adeo ut quod in uno Codice est *Keri* in altero ſit *Cetibh*, et vicisſim, clare docent, quanta fuerit iam hac periodo inter Codices Hebraeos lectionis in multis locis varietas, eaque talis, quae ab ipſis Iudaeis agnita ſit (*f*).

VI. Inſuper commemorantur a Maſorethis, de quibus mox dicetur, ad loca quaedam סבירים i. e. *coniecturae* criticae antiquiorum Rabbinorum, quae itaque indicare videntur, antiquiores illos Rabbinos a criſi in ſacro textu facienda haud plane abhorruisſe (*g*).

(*a*) Locus hic exhibetur praeter alios ab *Eichhornio*, *l. c.*, § 115, et *Bauero*, *l. c.*, *p.* 206. Conf. etiam *Iahn*, *l. c.*, *pag.* 384.

(*b*) Vid. imprimis *G. L. Vogelii*, *epimetron ad Capelli Crit. S. Tom.* I, *pag.* 443, *Eichhorn*, *l. c.*, § 117. et *Fabricy*, *l. c.*, *Vol.* II, *pag.* 296.

(*c*) Vid. iterum *Vogelius*, *l. c.*, *pag.* 444, ubi argumentum hoc fuſe pertractatur.

(*d*) Etiam de his punctis accurate disſerit *Vogelius*, *l. c.*, *pag.* 455. cui add. *Eichhorn*, *l. c.*, § 118 et *Iahn*, *l. c.*, *pag.* 385, 386.

(*e*) Inſtar omnium vid. *Capellus*, *Crit. S. Lib.* III, *Cap.* II et III, cui iungi poteſt *Eichhorn*, *l. c.*, § 119, et *Iahn*, *l. c.*, *pag.* 386, 387.

(*f*) Vid. prae aliis *Capellus*, *Crit. S. Lib.* III, *Cap.* I, XIV, XV, XVI, quocum coniungi meretur *Waltonus*, *prol. ad Bibl. polygl.*, *Cap.* VIII, § 18—26, et *G. Fabricy*, *l. c.*, *pag.* 298 ſeqq. Exemplum differentiae codicum Mſſ. in *τοις* Keri et Cetibh vid. Mich. I: 10. ubi lectio התפלשי quae in editionibus noſtris marginalis eſt, eſt textualis.

(*g*) De his coniecturis criticis Iudaeorum antiquioribus conf. imprimis *Capellus*, *l. c.*, *Lib.* VI, *Cap.* VIII. Plura de iis dicentur inferius.

§ 28.

Status textus Hebraïci aetate Hieronymi, ſaeculo V.

Saeculo V Hieronymus multum ſtudii in criſi aeque ac interpretatione textus ſacri Hebraei collocavit: ille enim postquam primum tunc in Eccleſia Occidentali uſitatam *Vulgatam* appellari ſolitam verſionem Latinam, ex Hexaplari textu Graeco Origenis emendatam edidisſet, circa annum 390 novam inſtituit translationem, ex ipſo ſermone Hebraeo, quem probe pro iſtius temporis ratione callebat, confectam (*a*). Praeterea etiam commentariis omnes Veteris Foederis libros expoſuit. Hanc vero ipſius verſionem, et hos commentarios ſi conſulamus, inde haud obſcure ſtatus contextus Hebraïci eo tempore potest intelligi, ſcilicet

1) iisdem, quibus hodie libris conſtabat tunc corpus librorum V. F.

2) Literae Hebraïcae figuram habebant fere eandem, ac illa est, quam nunc habent, uti apparet e. c. inde, quod Hieronymus ſaepe commemoret ſimilitudinem inter ב et כ, ד et ר, ה et ח etc. ſic

et tunc iam usitatas fuisse literas finales, liquet inde, quod mentionem facit similitudinis inter ך et ך, inter ם et ס etc.

3) Prorsus ignorabantur puncta vocalia hodierna, accentus, et reliqua signa diacritica, licet, uti supra § 15 dictum est, vestigia apud Hieronymum reperiantur punctulorum quorundam, quae in vocibus ambiguae lectionis, nostrarum vocalium locum tenere dici possent (*b*).

4) Distinctio in capita et versus eius aetate nondum in Codicibus Hebraïcis conspiciebatur; licet maiorum sectionum aliqua distinctione eos non caruisse, immo talem iam adfuisse in versione Graeca Alexandrina, apparet e commentario eius ad *Amos* VI, 9, ubi, *in Hebraïcis*, inquit, *alterius hoc capituli exordium est; apud* LXX *vero finis superioris.* Verba autem, saltem saepe, iam tunc distincta fuisse, apparet e dictis no. 2.

5) Lectio ipsa Codicis Hebraei, quo Hieronymus usus est, in plerisque cum textu Masorethico convenit, quamquam nec deficiant diversae a textu Masorethico lectiones, sed eae nec multae, nec magni momenti (*c*).

6) Fuisse nihilominus aliquas etiam tunc in Codd. Hebraïcis lectionum varietates, itidem e quibusdam locis Hieronymi liquet, ubi illius varietatis mentionem facit (*d*).

(*a*) De his Hieronymi laboribus plura dicentur § 69. Usus autem est Hieronymus in addiscenda lingua Hebraea auxilio Iudaeorum. Cf. loca hoc probantia, ex Hieronymi scriptis collecta ab *Hartmanno*, *l. c.*, *pag.* 43, 44, not. 11.

(*b*) Vid. *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 213, et *Eichhorn*, *l. c.*, § 125.

(*c*) Exempla vid. apud *Eichhornium*, *l. c.*, § 127b.

(*d*) Etiam hoc exemplis quibusdam probat *Eichhornius*, *l. c.*, § 127a.

PE-

PERIODUS TERTIA,

a Masoretharum tempore ad inventam artem typographicam.

§ 29.

Recenſio textus Hebraei Maſorethica.

Licet acerbisſima esſent post deſtructa Hieroſolyma Iudaeorum, per varias imperii Romani oras disperſorum, fata, ea tamen non impediverunt illos, quo minus, maxime in Oriente, eruditioni, praeſertim ſacrae, diligentem operam darent, variasque aperirent ſcholas, quibus ſacras literas docebant, inter quas clarum imprimis nomen adepta est Schola Tiberienſis in Palaeſtina, cuius iam ſaeculo V mentionem aliquam fecit Hieronymus (*a*). Huius igitur ſcholae doctores ineunte ſaeculo VI coniunctis ſtudiis textum ſacrum denuo recenſendum et accuratisſime edendum ſibi ſumſerant, huncque in finem obſervationes, quae iam ſparſim exſtabant, criticas, et grammaticas, quae accurate conſtituendae lectioni et interpretationi facere viderentur, collegerunt unum in librum, quem appellabant מסורה, מָסוֹרֶת vel מַסוֹרֶת, id est, *tra-*

di-

ditionem quia conftabat obfervationibus, quas ab aliis acceperant (*b*).

Labor autem Maforetharum magnam partem conftabat minutiis e. c. indagatione literae mediae cuiusque libri, et univerfi Codicis facri, indicatione literarum quarundam ceteris maiorum, vel minorum, inverfarum, fuspenfarum, in quibusdam vocibus etc. (*c*).

Deinde, quod maioris erat momenti, criticas illas, obfervationes, quas praecedente periodo iam cognitas fuisfe, dictum est § 27, collegerunt, et in iis praefertim illas, quae appellantur קְרִי et כְּתִיב, ad quas retulerunt plerumque ea, quae ad lectionis vel orthographiae diverfitatem fpectabant, aliquando vero etiam talia, quae exegeticae funt indolis, e. c. ubi loco vocabulorum, quae obfcoena videbantur, alia fupponebant honestiora vifa, uti 2 *Reg.* XVIII, 27 (*d*).

Tandem omnibus his addiderunt novam quandam notulam, 25 vel, ex aliorum recenfione, 28 locis oppofitam, quam appellarunt פִּסְקָא, i. e. *frustum* vel *partem abruptam* a reliquis *defcisfam*, vel etiam, licet rarius, פְּלִיגְמָה *hiatum*, a themate פלג *divifit*, e quo pofteriores Iudaei per infcitiam fecerunt פְּרִיגְמָה, indicatam fpatio vacuo, addita ad marginem hac nota פסקא באמצע פסוק, i. e. *Piska in medio verfu*, qua vero notula quid indicaverint obfcurius est, licet probabile fit, illa fignificatum fuisfe, aliquid e Criticorum Iudaïcorum fententia vel deesfe, vel et mente fupplendum esfe (*e*).

Opus autem hoc Doctorum Tiberienfium initio feparatis voluminibus fed absque iusto ordine, fcriptum erat, deinde vero ex hoc opere, quod prorfus interiit, excerpta funt confecta, quae, ad marginem notata funt; et quidem eo modo, ut faepius non fingulae notae locis refponderent, ad quae proprie

prie pertinuisſent, ſed ut ad unum locum congererentur, quae ad genus quoddam obſervationum, pluribus locis communium, ſpectarent. Has vero obſervationes deinde alii Rabbini ad ſaeculum usque XI continuo novis obſervationibus auxerunt, adeo ut, quid a primis auctoribus profectum, quid deinde additum ab aliis fuerit, dignoſci hodie nequeat, et magna ſit ipſius Maſorae in variis Mſſ. et editionibus diverſitas (*f*).

Id igitur, quod Maſorethae circa textum Hebraeum praeſtiterunt, huc imprimis redit, quod novam conſtituerint eius normam, qua illius e ſua opinione veram lectionem definiverunt et quidem tanta, quam ſibi ſumſerunt, et quam iis tribuere ſolent Iudaei, auctoritate, ut ad illius normam omnes deinde Codices fuerint deſcripti, qui itaque omnes ſummatim conveniunt cum lectione recenſionis Maſorethicae, exceptis ſolis calami vitiis, iisque aliquando lectionis varietatibus, quae ex ipſa Codicum Maſorethicorum hic illic diverſitate proficiscuntur (*g*).

(*a*) Sic nempe ſcribit *Hieronymus*, *praef. ad comment. in libris paralipom.* „Cum a me nuper literis flagitasſetis, ut „vobis Paralipomenon Latino ſermone transferrem; de Ti„beriade quendam Legis Doctorem, qui apud Hebraeos ad„mirationi habebatur, asſumſi, et contuli cum eo a vertice, „ut aiunt, usque ad extremum unguem, et ſic confirmatus „auſus ſum facere, quod iubebatis."

(*b*) Ita *Elias Levita* in praefatione libri *Maſoreth Hammaſoreth.* „Quod reperitur ſcriptum in margine librorum „(Biblicorum) non est niſi compendium ex Maſora: con„ſtat enim, auctores Maſorae non ſcripſisſe verba ſua ad „marginem, ... ſed ſcripſerunt iſta in ſeparatis foliis, „docueruntque ea publice, donec diffunderentur exemplaria „iſta huc illuc." Conf. etiam *Eichhorn*, *l. c.*, § 141.

(*c*) Facile hac de re perſuadebitur, qui inſpicit exempla quae collegit *Eichhorn*, *l. c.*, § 143—146.

(*d*)

(*d*) Vid. *Eichhorn*, *l. c.*, § 148.

(*e*) Vid. *Schiede*, *Biga Obſ. ſacr.*, *pag.* 155, *Vogelius*, *epimetr. ad Capelli*, *Crit. S.*, *Lib.* III, *Cap.* XVIII, *pag.* 458 ſqq. et *Eichhorn*, *l. c.*, § 153.

(*f*) „Verum est," inquit *Elias Levita* in praefatione tertia ad *Masforeth Hammasſoreth.*, „auctores Maſorae fuisſe cen-„tenos et millenos (numero plurimos) una generatione post „aliam, annis compluribus; neque cognitum nobis est tem-„pus principii vel finis eorum." Conf. etiam *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 217, 218, et *Eichhorn*, *l. c.*, § 154.

(*g*) De Maſora exſtat praeſertim opus *Io. Buxtorfii*, cui titulus est *Tiberias.* Caeterum optime de ea egerunt *G. Fabricy*, *l. c.*, *Tom.* II, *pag.* 288 ſeqq. et *Eichhorn*, *l. c.*, § 140—158, cui iungi meretur *Waltonus*, *Prol. ad Bibl. polygl.*, *Cap.* VIII, § 1—26.

Distingui ſolet Maſora vel potius Maſorae pars iam ſuperſtes in *textualem* ac *finalem*, ac *finalis* denuo in *magnam* et *parvam*, de qua distinctione cf. imprimis *Waltonus*, *l. c.*, § 11, *pag.* 280, 281 edit. *Dathii.* De editionibus Maſorae, eiusque ſumma corruptione et confuſione conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 156 *b.*

§ 30.

Variantes lectiones Codicum Orientalium et Occidentalium.

Cum hac periodo, praeſertim a ſaeculo VI ad XI ſcholas haberent Iudaei celeberrimas, maxime in Babylonia ac Palaeſtina, in earum uſum utraque in regione textus ſacer ſaepius deſcribebatur; unde ſponte orta est distinctio Codicum Orientalium, in Babylonia, et Occidentalium, in Palaeſtina ſcriptorum. Horum vero Codicum aliqui, cum aliquando, incertum a quo, inter ſe conferrentur, enatus est index ille variantium lectionum 216, vel 218, inter Codices Orientales et Occidentales, quem primus ſuae

Bi-

Bibliorum Hebraeorum editioni adiecit *R. Iacobus Ben Chaim* et qui deinceps in multis aliis editionibus repetitus est. Earum vero nulla reperitur in Pentateucho, cuius rei quae ſit ratio, nos ſaltem latet. Praeterea verſantur in ſolis conſonantibus, exceptis duobus tantum locis, nempe *Ier.* VI, 6, ubi Occidentales legunt עֵצָה Orientales vero עֵצָה et *Amos.* III, 6, ubi Occidentales habent עָשָׂה, Orientales autem עָשָׂה, unde haud improbabiliter efficitur, cum quemadmodum iam obſervavit *Elias Levita*, varietates has iam antea collectas fuisſe quam punctatio inventa fuit, ſaeculo circiter octavo, tum et varietates punctorum, duobus locis modo citatis, deinceps demum additas fuisſe.

Caeterum varietates illae exigui plerumque ſunt momenti cum, paucisſimis locis exceptis, circa minutias verſentur, quae nullum ipſi ſenſui adferunt discrimen; cui accedit etiam hoc, eum, qui indicem iſtum confecit vel in eo colligendo negligentisſime verſatum fuisſe, vel uſum fuisſe Codice ab hodiernis noſtris editionibus ſaepe diverſisſimo, utpote a quibus in annotanda Occidentalium lectione pasſim discedit.

Conf. imprimis *Capellus*, *l. c.*, *Lib.* III, *Cap.* XVII, qui egregie de hoc argumento expoſuit, *Waltonus*, *l. c.*, *Cap.* VIII, § 27. *Kennicott.*, *Disſert. general.*, § 41. *Bauer*, *Crit. S.*, § 31. *Iahn*, *l. c.*, § 109. et *Eichhorn*, *l. c.*, § 131.

§ 31.

Paraphrases quaedam Chaldaïcae versio Arabica R. Saadiae Gaon. Punctorum systema magis exornatum. Recensiones Ben Ascher et Ben Naphtali.

De studio, quod Iudaei hac periodo, in textu sacro collocarunt, testantur porro paraphrases Chaldaïcae haud paucae, hoc temporis intervallo confectae, itidemque versio Arabica Codicis sacri, e textu Hebraeo facta a *R. Saadia Gaon*, Aegyptio, anno 942 mortuo, de quibus vero deinceps opportunior dicendi erit occasio.

Praeterea et per hoc temporis intervallum, maxime a saeculo VIII ad X systema punctationis hodiernae magis magisque exornatum, et ad certas regulas exactum est, vocesque itidem omnes a se invicem in Codd. Msf. distingui coeperunt.

Saeculo tandem XI ineunte duo Rabbini Ben Ascher, et Ben Naphtali, quorum prior in schola Tiberiadis, alter in Babylonia floruit, de novo textum Hebraeum recensuerunt. Varietas autem inter Codices Ben Ascher et Ben Naphtali, uno loco *Cant.* VIII, 6, excepto, ad sola puncta pertinet ac nullius fere est momenti; id vero varietates hae docent eo tempore iam perfectum fuisse systema punctuationis Hebraicae hodiernae, quippe ad quod illae accommodatae sunt: immo haud improbabilis est coniectura, hos Rabbinos auctoritate sua ita constituisse hoc systema, ut ab eo deinceps non recesserint Iudaei, indeque ortum esse, nullum esse Codicem MS., de quo certo probari possit, illius aetatem saeculo XI antiquiorem esse, neglectis quippe, immo repudiatis a Iudaeis omnibus Codicibus, ante constitutum punctuationis systema conscriptis. Oc-

Occidentales denique Iudaei communiter ſequuntur lectionem Ben Aſcher, duobus tantum locis exceptis, nempe *Gen.* XXXII, 18 et XLI, 15 ubi exprimunt lectionem Ben Naphtali, quam in omnibus ſequi ſolent Orientales.

Conf. *Capellus*, *l. c.*, *Lib.* III, *Cap.* XVIII. *Walton*, *Proleg.* VIII, § 29. *Bauer*, *l. c.*, § 32. *Iahn*, *l. c.*, § 110, cuius etiam est coniectura in § commemorata, coll. *Eichhornio*, *l. c.*, § 133.

§ 32.

Continuata textus Hebraei hiſtoria a ſaeculo XI usque ad inventam artem typographicam.

Cum usque ad initium ſaeculi XI literarum, praeſertim ſacrarum, in Oriente ſtudia apud ſolos fere floruisſent Iudaeos Palaeſtinenſes ac Babylonios; illa ab eo inde tempore etiam ad Europam translata ſunt, occaſionem dante vexatione, quae miſerae genti in Oriente a Saracenis ſubeunda erat; ea quippe urgente, ſedibus ſuis pulſi, magno numero in Europam, maxime in Hiſpaniam, profecti, illuc eruditionem ſuam, ac praeſertim ſacri Codicis ſtudium, transtulerunt, unde et ingens ab eo tempore floruit, primum in Hiſpania, deinde et in Italia ac Germania eruditorum in hac gente, maxime ſaeculo XI et XII, numerus, in quibus, qui de ſacris literis bene meriti ſunt, prae aliis memorandi ſunt, *Aben Ezra*, *Maimonides*, *Salomo Iarchi*, *Ioſephus* et *David Kimchi* aliique. Hi quidem, licet in univerſum ſequantur recenſionem Maſorethicam, ſaepe tamen ita citant vel interpretantur Codicem ſacrum, ut diverſas ab ea lectiones vel commemorent, vel et ſequantur (*a*). Praeterea utebantur etiam hac aetate Codicibus quibus-

 dam,

dam, quos caeteris correctiores exiſtimabant, ad quorum normam librarii Codices ſuos deſcriberent, quales commemorantur Codex Hillelis, Codex Israëliticus, qui etiam Ben Aſcher, Palaeſtinus et Hieroſolymitanus vocari ſolet, Codex Babylonicus, ſive Ben Naphtali, Codex Aegyptiacus, Codex Hierichuntinus, Codex Sinaïticus, Codex Sanbuki, et Codex Taggin (תאגין), qui vel univerſum textum ſacrum, vel ſolum Pentateuchum complexi, omnes iam periere (*b*).

Hac autem ratione, cum omnes Codices ad quorundam Codicum normam deſcriberentur, emendabantur quidem multa vitia, ſed multa etiam Codicum illorum, quae ſcribendi normae inſerviebant vitia, in alios Codices transferebantur.

Accedebat et alia variantium lectionum hac periodo origo, repetenda e magis exculto Grammatices Hebraïcae ſtudio, utpote quod effecit, ut varia loca, quae a regulis Grammaticis recedere videbantur, ad earum normam aliquando corrigerentur (*c*).

Ceterum, cum iam diu magna veneratione Maſoram proſequerentur Iudaei; dubitari nequit, quin et hi Codices, qui deſcribendis aliis normam exhibebant, in univerſum Maſorae conformes fuerint, at vero cum Maſora ipſa multa lectionis varietate laboraret, nec etiam omnes aeque ſuperſtitioſe eam venerarentur, haud raro quoque lectiones Codicum hac periodo conſcriptorum a Maſorethica lectione disſentiunt.

Comprobatur hoc labore critico, quem in emendando textu Hebraeo ineunte ſaeculo XIII collocavit *R. Meier Hallevi* Toletanus, in libro quem appellavit ספר מסורת סיג לתורה, i. e. *liber Maſorae ſepis legis*, quo diſerte queritur, Codices Msſ. ſuae aetatis ſaepisſime lectiones continere, Maſorae contrarias (*d*).

Tan-

Tandem ad hanc periodum referenda etiam est divifio textus librorum Veteris Foederis in capita, quae tribuitur a plerisque *Hugoni*, *Cardinali*, qui obiit anno 1260, ab aliis *Stephano Langthono*, Archiepiscopo Cantuarienfi, qui circa annum Chrifti 1200 vixit. Illam vero faepe valde negligenter factam esfe, neminem latet.

(*a*) Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 136 *b*. Add. *Praefatio R. Iacobi Ben Chaïm* praemisfa editioni Bibliorum Bombergianae Latine exhibita apud *Kennicottum*, *Disf.* II, *pag.* 222 fqq. et libellus, lectu dignisfimus *Claudii Cappellani*, cui titulus: *mare Rabbinicum infidum*, editus Parifiis 1667, deinde a *Thoma Crenio* infertus *opusculis*, a fe collectis, *quae ad hiftoriam et philologiam facram fpectant*, *Fasc.* X, *pag.* 263—428, e quo Cappellani libello quaedam, huc facientia excerpfit *Kennicottus*, *l. c.*, *pag.* 247 feqq.

(*b*) Conf. de his Codd. *Waltoni Prolegom.*, *Cap.* IV, § 8—11. *Kennicott.*, *Disf. gen.*, § 55, 56. *Eichhorn*, *l. c.*, § 136[a].

(*c*) Vid. *Eichhorn*, *l. c.*, § 135 et *Iahn*, *l. c.*, *pag.* 397.

(*d*) Conf. praefatio *Buxtorfii* praemisfa *Concordantiis* eius *Hebraïcis*, *Fabricii partitiones Codd. Hebr.*, *Cap.* VII, *pag.* 263. *Eichhorn*, *l. c.*, § 80 *a* et *Storr in* cl. *Pauli*, *Repertorio lit. Orient.*, *Tom.* II, *pag.* 225 feqq.

PERIODUS QUARTA,

ab inventa arte typographica ad nostram aetatem.

§ 33.

Editiones Codicis Hebraei, typis impresſae.

Post inventam artem typographicam primum partes tantum quaedam Codicis Hebraei typis impresſae ſunt: quarum prima fuit Pſalterium cum commentario Kimchii, anno 1477 ſine addito impresſionis loco. Dein anno 1482 editus est Pentateuchus Bononiae, poſtea anno 1486 Prophetae priores ac poſteriores Bononiae, denique anno 1487 Hagiographa Neapoli, et aliae quaedam Codicis Hebraei partes (*a*).

Antiquisſima autem editio integri Codicis Hebraei prodiit Soncini, anno 1488 (*b*).

Post hanc ex antiquisſimis editionibus imprimis memorabilis est editio Brixienſis, quae etiam a nomine typographi appellatur Gerſomiana anno 1494, qua Lutherus in vertendo Codice ſacro uſus est, et quae multas continet lectiones a noſtris editionibus diverſas, quas et Lutherus in ſuam verſionem intulit, quae hac de causſa ſaepe a vulgari noſtro textu Maſorethico haud parum disſentit.

Ad huius autem editionis normam etiam aliae quaedam

dam deinde expresſae ſunt, in quibus eminet textus Hebraïcus Bibliorum polyglottorum Complutenſium, editorum, anno 1502—1517 ſex vol. in fol. (*c*).

Inſuper prae aliis antiquisſimis editionibus commemoratione digna est illa, quam procuravit, opera uſus *Iacobi Ben Chaim*, anno 1526 *Daniel Bombergius*, quae, uti iam dictum est § 3, tantam nacta mox fuit auctoritatem, ut ad eius normam omnes quae deinde ſecutae ſunt, editiones conformatae fuerint (*d*). Alias editiones, utpote dein commemorandas, hoc loco mittimus: Id ſolummodo obſervandum est, editiones antiquisſimas editas fuisſe ſecundum Codices Msſ. et eorum formam etiam referre, hincque, quamquam in univerſum Maſorae conformes, ſaepe tamen ab editionibus, deinde publicatis, haud parum differentes exhibere lectiones; quamquam et vitia, quae in Codicibus inveniebantur, quibus uterentur, haud raro in ſuas editiones transtulerunt.

Quaenam vero deinceps ad nostrum usque tempus textus Hebraïci, typis impresſi, criticesque artis ope correcti, fuerint fata, ulterius hic perſequi opus non est, cum id iam occupatum fuerit § 3, No. III—X (*e*).

(*a*) Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 392, *Tom.* II, *pag.* 182—191 edit. III.

(*b*) Conf. de hac editione *Roſenmüller*, *Handbuch für die Literatur der Bibliſche Kritik und Exegeſe*, *Tom.* I, *pag.* 189 ſqq., et *Eichhorn*, *l. c.*, *pag.* 91, auctoresque ab iis citati. Variantes lectiones ex hac editione collegit *B. v. D. Schulze*, *Biblioth. Hagan.*, *Claſſ.* I, *Fasc.* II, *pag.* 205 ſqq.

(*c*) De editione Bibliorum polyglottorum Complutenſium conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 393 *a.* citatique ab eo auctores.

(*d*) Vid. de hac editione editionibusque ad eam conformatis *Roſenmüller*, *l. c.*, *pag.* 195 ſqq. et *Eichhorn*, *l. c.*, § 394, 395, 396.

(*e*) Scriptores de editionibus librorum V. F. enumerant *Bauerus*, *l. c.*, § 34 et *Eichhorn*, *l. c.* § 390, *not.*

§ 34.

Appendicis loco quaedam adduntur de Pentateucho Samaritano.

Cum etiam ad aetatem noſtram delatum ſit venerandum antiquitatis monumentum, nempe Pentateuchus Samaritanus, i. e. Pentateuchus Hebraïcus, literis Samaritanis exaratus, qui quantivis in critica ſacra Veteris Foederis est pretii; quaedam et de eius hiſtoria dicenda ſunt.

Origo huius Pentateuchi ad remotisſimam adſcendit antiquitatem. Scilicet, uti probabile est, post ſcisſi regni Israëlitici ac Iudaici tempora, in utroque regno peculiaria fuisſe Pentateuchi Moſaïci exempla dubitari nequit; cum ceteroquin nec cultus publicus normam haberet, ad quam dirigeretur, nec iudicia haberent leges quarum auctoritate niterentur.

Hoc asſumto, deinde ex uno alterove exemplari Pentateuchi illius Israëlitici, deſcriptus videtur Pentateuchus ille Hebraeus, Samaritanis literis conſignatus, in gratiam novae illius coloniae, e Cuthaeis aliisque populis ex Asſyriae regionibus in terram Israëliticam, tempore eo quo in Asſyriam exſulatum mittebantur Israëlitae, traductae, quae cum uti ex hiſtoria notum est ad religionem Moſaïcam a ſacerdote ex Asſyria illuc misſo, inſtitueretur, dubitari nequit, quin in illius uſus deſcriberetur univerſae religionis fons, Pentateuchus; dialecto quidem Hebraïca, utpote quae tunc temporis ab Asſyriaca tam parum differebat, ut facile a colonis Asſyriis intelligi pos-

posſet, at literarum characteribus diverſis, quippe iam tunc forte quodammodo a characteribus literarum Hebraïcarum differentibus.

Quamquam enim diſerta hic deſtituamur veterum teſtimoniorum auctoritate; nullum tamen cogitari potest aliud tempus, ad quod origo huius Pentateuchi probabiliter referatur (*a*). Saltem antiquisſimum esſe hunc Pentateuchum, vel inde apparet, quod non tantum crebra ſit mentio Pentateuchi Samaritani apud Patres Eccleſiae antiquiores, verum etiam quod multae in hodiernis eius exemplaribus reperiuntur lectionis varietates, quae ipſae iam apud *Origenem*, *Hieronymum* aliosque commemorantur (*b*).

Cum vero per annos plus quam millenos nulla fere neque Iudaeis, quippe adverſus Samaritanos omniaque a Samaritanis profecta implacabili odio animatis, neque Chriſtianis, Orientalis quippe literaturae ignaris, esſet notitia Pentateuchi Samaritani, aliqua tantum eius facta fuit mentio apud Patres quosdam Eccleſiasticos, *Origenem* nempe, *Euſebium*, *Cyrillum Alexandrinum*, aliosque, qui et aliquando varietates quasdam lectionis ex eo annotarunt.

Ipſe autem textus Samaritanus cum a nemine Eruditorum, qui deinceps vixerunt viſus esſet; primus quidem *Ioſ. Scaliger* deſiderium Europaeis inſtillavit eum ex Oriente arcescendi (*c*); cuius admonitione commotus *Nic. Claud. Fabricius Peireſcius*, illius exemplar in Aegypto coëmi curavit, ſed quod, cum navis, qua vehebatur, a piratis diriperetur, in Europam perlatum non fuit. Poſtea a *Io. Morino* denuo ſollicitatus Peireſcius Pentateuchum hunc ex Oriente obtinuit: ipſe certe *Morinus* ſe tres ab eo Codices illius accepisſe dicit (*d*).

Alium inſuper Codicem ab ipſis Samaritanis Damaſci redemtum in Europam ſecum adtulit illuſtris et eru-

ditus Periegeta *Petrus della Valle*, e quo *Morinus* typis defcribi Pentateuchum hunc curavit, infertum Bibliis polyglottis Parifienfibus. Ab eo autem tempore et plures huius Pentateuchi Codices in Galliam, Angliam ac Belgium allati funt, quos accurate recenfuit *I. C. Wolfius*, *Bibl. Hebr.*, *P.* II, *pag.* 425 fqq. Tandem et *Iac. Usferius* fex Codices ex Oriente accepit, quorum quinque in Anglia asfervatos, *Kennicottus* vel totos, vel ex parte, contulit. Collatio autem horum Codicum docuit in iis totidem verbis reperiri citationes, quas Patres Ecclefiastici iam ex iis fecerant, in quo invictum est ἀυθεντίας huius Pentateuchi argumentum (*e*).

(*a*) Egregie hoc probavit *Eichhornius*, *l. c.*, § 383, 384.

(*b*) Exemplis quibusdam hoc comprobavit *Eichhorn*, *l. c.*, § 385. *Tom.* II, *pag.* 162, 163, edit. III.

(*c*) *De emendat. temp.*, *Lib.* VII, *pag.* 620—627. Imprimis *pag.* 627 haec leguntur: „Qui in Palaeftina peregrinantur, posfent et alia et Pentateuchum ab illis adipifci: „nam fane Chriftianae pietatis homines paullo hac in re negligentiores hactenus fuerunt, ex cuius rei cognitione uberrimi fructus in facram hiftoriam redundarent. Spero, „non defuturos, qui voto noftro fatis faciant."

(*d*) Conf. eius *opuscula Hebraeo-Samaritana*, *pag.* 95.

(*e*) Plura de Pentateucho Samaritano conf. apud *Eichhornium*, *l. c.*, § 378 feqq. et *Bauerum*, *l. c.*, § 92, 93, 94 auctoresque ab iis citatos, quibuscum iungatur *Fabricy*, *l. c.*, *Tom.* I, *pag.* 75 feqq. et *Kennicott*, *Disf.* II, *pag.* 108—113.

CA-

CAPUT TERTIUM.

VARIANTIUM IN TEXTU SACRO HEBRAEO LECTIONUM ORIGINES, AC VARIAE CLASSES.



§ 35.

Quidnam de integritate ac corruptione textus ſacri Hebraei ſentiendum ſit, in anteceſſum inquiritur.

Ex iis, quae capite praecedente dicta ſunt, apparet ex una parte, textum Hebraeum, univerſe conſideratum, *integrum* ad nos perveniſſe, ex altera autem parte, haud immunem eſſe ab omnibus mendis ac vitiis, ope critices corrigendis; quae duo ſi probata fuerint, quale de ſtatu textus Hebraei hodierni ferendum ſit iudicium, haud erit obſcurum.

I. Primum itaque, quod defendimus, hoc est, textum Hebraeum integrum ad noſtras manus perveniſſe, *univerſe conſideratum*, id est, exceptis quibusdam vitiis, ſed talibus, quae non obſtant, quo minus argumentum horum librorum univerſe intelligi ac teneri a nobis poſſit: quod enim primo loco atti-

 net

net ad Pentateuchum, eius adeo follicitam femper curam habuerunt Iudaei, quae omnem graviorem corruptionem femper longisfime abarceret: eius enim exemplar cum ad latus arcae antiquitus asfervaretur, ac deinde, postquam diu latuisfet, iterum repertum esfet tempore Hilkiae; femper magna, immo fere fuperftitiofa cura habitum est hoc legum corpus: idemque Codex Samaritanus et verfiones antiquae probare posfunt, coll. § 21.

Porro ceterorum librorum V. F. integritas, univerfe confiderata, probatur itidem antiquioribus verfionibus, quae, diverfo tempore confectae, et e diverfis Codicibus defcriptae, haud raro quidem alias lectiones fecutae funt, in re tamen fumma omnes cum textu Hebraeo confentiunt, dum variantium, quae in verfionibus exftant, lectionum plurimae, vel manifesta fint fcripturae vitia, vel ex aperta interpretum infcitia, incuria, et audacia repetendae funt. Deinde iam ante Chrifti tempus Iudaei libros hos, in unum corpus collectos, fumma coluerant veneratione, qua et cavebant, ne quid in iis vitiaretur, coll. § 22, 23.

Post Chriftum natum eandem integritatem comprobant, cum citationes horum librorum in N. T. factae, tum et verfiones quaedam et critici labores Origenis, coll. § 24, 25, 26. Infuper haud magnam invenisfe variantium lectionum copiam illos Iudaeos, qui ante Maforetharum aetatem floruerunt, luculenter inde apparet, quod ceteroquin plures earum enotasfent, quam illas paucas, easque plerumque exigui momenti, de quibus dictum est § 27. Hieronymum quoque faeculo V textu Hebraeo ufum fuisfe, qui in plerisque cum hodierno textu Hebraeo confentit, apparet e dictis § 28.

Denique recenfio Maforethica, quam noftrae fequun-

quuntur editiones, paucas tantum exhibet, ſi univérſam Codicis Hebraei molem reputemus, lectionis varietates, quae alicuius ſunt momenti, quemadmodum et varietas Codicum Orientalium et Occidentalium, Codicumque Ben Aſcher et Ben Naphtali adeo exigua est ut vix in cenſum venire posſit; ne dicam et paraphraſes Chaldaicas nec non verſionem Arabicam Saädiae Gaon plerumque convenire cum textu Maſorethico, uti apparet e dictis § 29—33 (*a*).

II. Uti autem e dictis luculentisſime apparet, meram esſe calumniam, ex inſcitia profectam *Houbigantii*, pronunciare non dubitantis *tanta incuria editum esſe ſacrum Hebraïcum volumen*, *quantum haud ſciat*, *an ullus Codex editus fuerit typographiae luce cohonestatus*, ſimiliumque eiusdem furfuris Criticorum (*b*); ita et ex altera parte, integritas illa non ſic intelligenda est, ac ſi contextus Hebraeus V. F. ab omni labe purus ad noſtram aetatem pervenisſet: *generatim* quippe nulla ratio est, quae nos credere iubeat, alia ac reliquorum librorum fuisſe fata librorum ſacrorum Veteris Foederis, utpote ab auctoribus conſcriptorum, qui aliquando ipſi calami errorem committere potuerint, ſaltem ſaepius deſcriptorum a librariis, qui vel incuria peccaverint et inſcitia, vel et in ſumma quam adhibuerint, cura ab omni errandi periculo immunes non esſent, niſi quis dicere vellet manus deſcriptorum ductu Spiritus Sancti gubernatos fuisſe, quod et in ſe abſurdum esſet, et ſola ingenti mendarum in Codicibus Msſ. librorum V. F. copia erroris revinceretur.

Speciatim dein

1) Ante Maſoretharum tempus mendarum immunes non fuisſe Codices Hebraeos, apparet e collatione cum textus Samaritani Pentateuchi, tum et veterum verſionum, ex Hebraeo fonte confectarum, itidem-

que

que ex ipſis illis conaminibus textum ſacrum emendandi, quae inſtituerunt Iudaei, qui ante Maſorethas vixerunt, quae enumerata ſunt § 27.

2) Ipſe Maſoretharum labor, quamquam multis in locis genuinum contextum reſtituerit, haud tamen ab omnibus eum vitiis immunem praeſtitit: quippe ipſi erant homines, qui in delectu variarum lectionum errare potuerint: immo quos ſaepisſime falſam elegisſe lectionem, multis dein nobis conſtabit argumentis, cui accedit etiam hoc, ignorari iam a nobis quot et quibus uſi fuerunt Codicibus, quemnam eorum fecerint delectum, et ad quarum regularum normam criſin ſuam exercuerint.

3) Denique nec post Maſoretharum aetatem prorſus mendis vacuus haberi poterit contextus Veteris Foederis: librarii enim, qui post eos, immo ad eorum normam, Codicem Sacrum deſcripſerunt, et ipſi erroris periculo expoſiti erant, et ſaepe, uti collatio Codicum Msſ. evidentisſime docuit in deſcribendo a vero aberrarunt.

Praeterea licet plerumque Maſorethicam lectionem ſequuntur, haud raro tamen aliam praeferunt, a Maſorethica diverſam, et cum aliqua veteri verſione convenientem, claro indicio librarios et correctores Codicum aliquando Maſoram deſeruisſe. Accedit etiam hoc, non eandem ubivis Maſorae auctoritatem a Iudaeis tributam fuisſe, cum et Thalmudistae, et alii celebres Rabbini disſenſum ſuum ab ea haud raro diſertis verbis declarare non vereantur, immo et eam contemnere aliquando non dubitent. Denique ipſa illa Maſora, prouti hodie exſtat, ſaepe adeo corrupta est, adeo manca vel perplexa, adeo ſibi ipſi contraria, adeo in diverſis Codicibus Msſ. diverſa, totque additamentis interpolata, ut Augiae referat ſtabulum, quod vix Hercules quidam Criticus depurget (*c*).

(*a*)

(*a*) Egregie integritatem Codicis Hebraei, hoc ſenſu acceptam, probavit Sacerdos, dein Cardinalis *G. Fabricy*, in libro ſaepius laudato, *Des titres primitifs de la revelation.*

(*b*) Iam antea nimiam de corruptione textus Hebraei opinionem foverant *Morinus*, *Iſ. Vosſius*, *Rich. Simonius*, et, reliquis ceteroquin longe modeſtior *Capellus.* Nemo autem impudentius et ſaepe etiam indoctius hic grasſatus est quam *Houbigantius*, quem eximie confutavit *S. Ravius*, in *Exercitationibus ad Houbigantii prolegomena.* Lugd. Bat. 1785.

(*c*) Vid. *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 160 ſeqq.

§ 36.

Variantium lectionum notio accuratius definitur.

Cum itaque variantes lectiones in Codice Hebraeo vere reperiri, e § praecedente liqueat; iam quid earum nomine a nobis intelligatur breviter oſtendendum erit.

Latiore quidem ſenſu hoc nomine appellari posſunt quaecunque in diverſis Codicibus occurrunt, ſcriptionis varietates; etiam illae, quae vel manifesta ſunt calami errantis vitia, vel ad ſolam orthographiam pertinent; at vero cum talia ſcriptionis vitia vel tales ſcribendi differentiae nihil in ipſo ſenſu mutent, *variantes lectiones* eas ſolummodo appellamus ſcriptionis differentias, quae ſimul ſenſus adferunt diverſitatem, ac de iis ſolis hic agemus licet etiam vitia manifesta ſcriptionis probe obſervanda ſint, quia ex iis haud raro diſcere posſumus, quomodo et maioris momenti varietates ortae ſint, pluresque variantes lectiones maioris momenti origine non ſint niſi calami vitia, ſed per plures Codices diffuſa ac perpetuata.

§ 37.

Diverſae variantium lectionum clasſes.

Accurata variantium lectionum conſideratio quemvis docebit, eas omnes vel e meris ſcriptionis erroribus, vel e falſis deſcribentium iudiciis oriri, quibus addunt aliqui malevolum textus Hebraei de induſtria mutandi conſilium. Tres itaque praecipuae ſunt variantium lectionum clasſes,

1) meri ſcriptionis errores,

2) falſa iudicia,

3) e quorundam opinione malevolum textus corrumpendi ſtudium. Videamus de ſingulis his clasſibus.

§ 38.

I. *Prima clasſis variantium lectionum, meris conſtans ſcriptionis erroribus, eiusque 4 ſpecies.*

I. Ad primam variantium lectionum clasſem quod attinet, quae meris conſtat ſcriptionis erroribus, hos committebant *librarii* vel deſcriptores librorum, cum vel ea, quae ab aliis in calamum iis dictabantur, male audirent, vel ea, quae in aliis Codicibus, e quibus ſuos Codices deſcribebant, reperiebantur perverſe legerent. Atque ſic quadruplici modo errare potuerunt, nempe *omittendo*, *addendo*, *transponendo*, et *permutando*, literas, puncta, integrasque voces.

Eas variantium lectionum ſpecies iam conſtituit *Capellus*, *l. c.*, *Lib.* I, *Cap.* II, § 3 ſeqq, quem ſecutus quoque est. *Iahn*, *l. c.*, § 127 ſeqq. Eamque partitionem eo lubentius ſequimur, quo facilius ingentem variantium lectionum, ad hanc clasſem pertinentium, copiam ea complecti posſumus.

§ 39.

A. *Prima ſpecies errorum ſcriptionis, quae commisſa est* omittendo.

A. Haud raro fieri ſolet, ut

א vel vetuſtate literae vocesque quaedam, vel et librariorum incuria aut inſcitia omisſae fuerint. Sic litera omittitur *Ioſ.* VIII, 16, ubi lectio marginalis habet בעי, pro quo in textu est בעיר. Similiter 2 *Sam.* XXIII, 20 pro חיל quod est in margine et in loco parellelo, 1 *Chron.* XI, 22, in textu legitur חי.

Aeque facile integrae voces ſimilem ob cauſſam aliquando omisſae ſunt, quod ſaepius factum est cum alibi, tum imprimis in catalogis longioribus nominum propriorum, in quibus omisſio talis est facillima.

ב Immo et aliquando integrae ſententiae ac periodi omisſae ſunt, ſic e *Pſ.* CXLV Alphabetico integer verſus, qui a litera נ incipere deberet iam ab antiquisſimo inde tempore omisſus est. Similiterque in *Pſ.* XXXVII ſymmetria membrorum valde probabile facit, ante verſum 8, 21, 30, 35 integra quaedam membra omisſa esſe. Praeſertim huc pertinent frequenter occurrentes omisſiones, quae dicuntur, ob *ὁμοιοτέλευτον*, quae tunc locum habent, quando, cum eadem vox, vel plures voces eaedem post breve ſpatium interiectum redeunt, librarii oculus, postquam illas voces ſemel ſcripſisſet, mox ad ſequentia transvolat, omisſis intermediis. Sic in Codice Regiomontano I, collato a cl. Lilienthal, *Ieſ.* XI: 4 cum in textu occurrant verba לְעַנְוֵי ארץ והכה ארץ repetitio illa vocabuli ארץ, intercedente tantum

uno

uno vocabulo והכה, effecit, ut omisſa ſint verba והכה ארץ. Similiter, cum *Ioſ.* XXI *vs.* 35 et *vs.* 37 terminarentur iisdem vocabulis ערים ארבע, hinc factum est, ut in multis Codicibus omnia intermedia quae *vs.* 36 et 37 habentur, omisſa fuerint (*a*).

ג Obſervandum porro est idem aliquando vitium commisſum esſe, ſi voces, non quidem eaedem, ſed parum inter ſe differentes repetuntur. Haec e. c. ratio esſe videtur, cur *Pſ.* XXXVII integer verſus omisſus fuerit, qui a litera ע incipere deberet: ibi nempe vs. 28 post verba לעולם נשמרו, olim ſecuta fuisſe videntur verba עוילים נשמדו *improbi exſcindentur*, uti apparet e verſione Alexandrina, habente hic ἄνομοι δὲ ἐκδιωχθήσονται et *Symmachi*, habente *οἱ δὲ ἄνομοι ἐξαρθήσονται*, quae verba vero cum valde ſimilia esſent verbis *ἀμέσως* praecedentibus, לעולם נשמרו, a librariis neglecta fuerunt. Similiter *Mich.* VI, 16 in verſione Alex. verſus ille incipit ab his verbis *καὶ ἀφανισθήσεται τὰ νόμιμα τȣ̃ λαȣ̃ μȣ*, e lectione Codicis Hebraei וַיִּשְׁתַּמֵּד חקות עמי quae vero deinceps e Codicibus Hebraeis excidisſe videtur, propter ſequens membrum literis priori admodum affine: וְיִשְׁתַּמֵּר חקות עמרי *et leges Omri obſervantur.*

ד Saepisſime ex incogitantia quadam omittebant vocabula quaedam vel particulas, quae, ſalvo ſenſu abesſe vel adesſe posſent, uti ו, כל, את etc.

ה Aliquando et litera quaedam vel plures literae abſorbentur per vocabula ſequentia aut praecedentia, ſi illa iisdem vel ſaltem ſimilibus literis conſtant, uti *Ruth.* III: 17 אל תבאוי pro אל אלי תבאוי *ad me non pervenictis. Iud.* XX: 13 בנימין pro בני בנימין. Haec et alia exempla vid. apud Cl. Venemam ad Malach. pag. 335 ſeqq.

(*a*)

(*a*) Plura exempla videri posſunt apud *Capellum*, *l. c.*, *Tom.* I, *pag.* 117, 118, edit. *Vogel.* et *Eichhornium*, *l. c.*, § 105. Magnam exemplorum ſegetem ex uno Codice Casſellano adduxit *Michaëlis*, *Bibl. Orient.*, *Tom.* II, *pag.* 234, 235. E Novo Foedere exempla varia protulit idem V. D. *Introduct.* § 44. E Graecis vid. quae adduxit *Valckenarius* ad *Eurip. Phoeniſſ.* 360—363, itidemque *Perizonius* ad *Ael.* V. H. IV, 20, *pag.* 375, edit. Gronov.

§ 40.

B. *Secunda ſpecies errorum ſcriptionis, commiſſa* addendo.

B. Non vero tantum ea omittendo, quae adesſe debuisſent, verum et addendo quae debuisſent abesſe, haud raro peccarunt librarii, ſaepius quippe literam, vocem aut ſyllabam addunt ſyllabae, vel et unam pluresve ſyllabas aut voces bis ſcribunt.

Imprimis

א in omittendis addendisque matribus lectionis magnam ſibi ſumſerunt libertatem, non quidem talem, quae ex mera oriretur negligentia, vel ex arbitrio nulla lege gubernato, ſed pro diverſa orthographiae ratione, ſecundum quam alii literas has in iisdem vocibus ſemper omittebant, alii vero addebant. Vel etiam additio aut omisſio conſtanter locum habet, ſi per eam pronunciatio vel et generis numerive discrepantia indicari poteſt. Sic e. c. in Codice Helmſtadienſi, cuius deſcriptio, facta a *Georg. Io. Lud. Vogelio*, ſubiuncta est *disſertationi ſecundae Kennicottianae ſuper ratione textus Hebr. V. T.*, *Num.* XV, 4, 6, 7 voces ברבעית et שלשית ſcribuntur ברביעית et שלישית. Pari ratione *Gen.* X, 20, tria vocabula, in textu Maſorethico ſcripta למשפחתם, ללשנתם,

et

et בארצתם in textu Samaritano, ad numerum pluralem indicandum, scribuntur ללשנותם, למשפחותם, et בארצותם (*a*). Cum vero exsistant etiam Codd. in omittendis vel addendis matribus lectionis negligentiores, consequitur, ex harum literarum omissione vel additione, quae in iis aliquando reperiatur, nullum peti posse argumentum pro hac illave lectione, utrum nempe e. c. אתי legendum sit אתי, an אתי an אתי etc. Contra vero, si Codices in matrum lectionis omissione vel additione sibi constant, ea lectioni cuidam tali in casu auctoritatem quandam addere potest (*b*).

ב Saepissime quoque per librariorum errorem vel literae vel syllabae quaedam repetitae sunt vocis praecedentis. Hinc e. c. ortum est vitiosum illud רני *Ps.* XXXII, 7, quod nempe librarius per incuriam repetiit e voce praecedente תצרני. Similiter *Ies.* XXXV, 1 eadem de causa vitiose scriptum est ישׂשום מדבר וציה pro ישׂשו (*c*). Saepius autem vitium hoc scriptionis ortum duxit e custodibus, qui dici solent, linearum: librarii enim Iudaei, *καλλιγραφείας* amore incitati, ultimam lineae vocem, si abrumpenda esset, non solebant ita dividere, ut primam eius partem in priore, secundam in altera linea ponerent, sed unam pluresve vocis literas prouti magnitudo spatii lineae residui capiebat, ad finem lineae ponebant, totumque illud vocabulum in linea sequente repetebant, qua ratione facile a scribis imperitioribus literae illae, quae custodis vicem explebant, repeti potuerunt (*d*).

ג Factum quoque est aliquando ut plura vocabula per errorem repeterent, quae vocabula repetita cum deinde delere negligerent, illa haud raro in alios Codices transierunt. Sic, cum *Ps.* XVIII, 13 haberentur verba ברד וג חלי אש, ista male repetita sunt

ren-

vs. 14, quemadmodum et ea ibi non habent locus paralellus 2 *Sam.* XXII, 14, nec LXX, nec Arabs, nec 3 Codd. Kennicottiani ac Rosfiani.

Simili fere modo 2 *Sam.* XXI, 19 post vocabulum יַעְרֵי, pro quo legendum est יָעוּר vel יָעִיר, vocabulum ארגים e linea fequente ad praecedentem traductum, et fic male bis pofitum est, coll. 1 *Chron.* XX, 5, ubi vera habetur lectio.

ד Ex incogitantia quadam, et, leviter infpecto textu, memoriae fuae nimium confidentes, aliquando textum facrum auxerunt literis, particulis vocibusque, quae in exemplaribus fuis non reperiebant, et quae ad fenfum abesfe aeque ac adesfe poterant, fic *Ief.* XXIX, 11 pro ספר, uti in margine legitur, in textu reponitur הספר. *Mich.* III, 2 pro רָע, quod habet lectio marginalis, Maforethae pofuerunt רָעָה. Similiter faepius ו, את, כל etc. addiderunt librarii (*e*).

(*a*) Conf. quae notavit *Vogelius* ad *Capelli*, *Lib. cit.*, *Tom.* I, *pag.* 52 feqq.

(*b*) Vid. *Vogelius* ad *Capellum*, *l. c.*, *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 176, *Iahn*, *l. c.*, *pag.* 467 fin.

(*c*) Exempla ex auctoribus Graecis fimilia dederunt *Wesfelingius* et *Valckenarius* ad *Herodotum*, *pag.* 267, *lin.* 53 edit. *Wesfeling.*

E Latinis auctoribus vid. fimile exemplum apud *Ernestium* ad *Cic. de Leg.* II, 8.

(*d*) Conf. *Capellus*, *l. c.*, *L.* IV, *Cap.* IX et X. *Eichhornius*, *l. c.*, § 104. *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 176, *num.* 9.

(*e*) Conf. *Iahn*, *l. c.*, *pag.* 468. Eadem de causfa tales voces ac particulas aliquando omisfas esfe, dictum est § 39 ד.

§ 41.

C. *Tertia errorum ſcriptionis ſpecies, commiſſa* transponendo.

C. Saepius quoque peccarunt librarii transponendis ſive literis, ſive vocibus, ſive pericopis.

א Haud raro literae transpoſitae fuerunt. Sic *Num.* XXVI, 33 pro תחן LXX legerunt תנח, vertentes *Ταναχ.* Pro רשף 1 *Chron.* VII, 25, iidem, vertentes *Σαραφ*, legerunt שרף, et ſic alibi ſaepius in nominibus propriis, itidemque haud raro etiam in aliis vocibus. Sic *Deut.* XXXI, 1 pro וילך legerunt ויכל, vertentes, *καὶ συνετέλησε Μωϋσης λαλῶν* etc. Pro כתרו *cinxerunt Iud.* XX, 43, legerunt כרתו *exciderunt*, vertentes *κατεκόπτον.* Itidem *Iob.* XLI, 14 pro דאבה *moeror*, legerunt אבדה *pernicies*, *ἀπωλεία.* Sic etiam *Eccl.* IX: 4 pro יבחר *eligitur* lectio marginalis habet יחבר *asſociatur*, quacum etiam LXX et paraphraſis Chaldaïca conveniunt. Immo et plures una aliquando literae transponuntur. Sic *Hoſ.* XIII, 15. ubi in Hebr. est *ipſe depraedabitur* אוצר *theſaurum* LXX, uti indicat eorum verſio; *αὐτὸς καταξηραινεῖ τὴν γῆν αὐτȣ*, pro אוצר, transpoſitis צ et ו, legerunt ארצו. Similiter 1 *Chron.* XVII, 16; *qui ego ſum? Domine Deus! et quae domus mea*, כי הביאתני עד הלם, *quod adduxeris me huc usque?* LXX, cum vertant, *ὅτι ἠγάπασάς με ἀπ᾽ αἴωνος*, pro הביאתני vel הבאתני legerunt, literis transpoſitis, אהבתני et pro הלום, transpoſita litera ו et mutata inſuper ה in ע, עולם (*a*).

ב Neque deſunt exempla integrarum vocum transpoſitarum. Sic *Nahum*, II, 1. *non amplius tranſibit per te* בליעל *homo nequam;* ubi LXX, vertentes

δι-

διότι ȣ μὴ προςθήσωσιν ἔτι τȣ͂ διελθεῖν διὰ σȣ͂ εἰς παλαίωσιν legerunt על־בלי. *Hoſ.* VII, 16 *converſi ſunt* לא על, *non ad exceſſum*, ubi LXX, cum vocibus transpoſitis legerint על לא, vertunt *ἐπιςραφήσαν εἰς ȣ̓δὲν*, vel uti est in edit. Complut. *εἰς τὸ κένον. Amos* V, 16 (al. 9) *vocabant rusticum ad planctum* ומספד אל יודעי נחי *et planctum ad peritos lamentationis*, ubi LXX legerunt ואל מספד יודעי נחי *et ad planctum peritos lamentationis*, vertentes quippe; *καὶ εἰς κοπετὸν οἱ εἴδοτες θρῆνον.* Sic et 2 *Sam.* VIII, 17 verba וצדוק בן אחיטוב ואחימלך בן אביתר, ita ſunt transponenda, וצדוק ואביתר בן אחימלך בן אחיטוב, uti etiam legit *Ioſephus*, *Ant. Iud.* VII, 5, 4, quod ideo poſtulatur quia, uti ex 1 *Sam.* XXIII, 9 et 23 conſtat, Achimelechus filius et Abiatharus nepos erat Achitubi (*b*).

ג Tandem etiam integrae aliquando transpoſitae reperiuntur pericopae, ſive minores, hemiſtichia nempe aut verſus, ſive maiores, integra ſcilicet capita, integraeque librorum quorundam partes. Sic

α quod ad minores attinet pericopas; transpoſitionis in iis factae evidens praebet exemplum collatio *Pſ.* XCVI, 9, 10, 11 cum loco paralello 1 *Chron.* XVI, 30, 31, 32: priore enim loco ordo membrorum ſic ſe habet:

Contremiscat a vultu eius omnis terra:
Dicite inter gentes: Iehova regnat;
Quin firmatus est orbis terrarum,
Adeo ut non commoveatur.
Iudicabit populos iuste.
Gaudeant coeli et exſultet terra;
Intonet mare et plenitudo eius.

Hic autem ordo, omisso etiam membro: *iudicabit populos iuste*, sic invertitur in altero loco:

Contremiscat a vultu eius omnis terra:
Quin firmatus est orbis terrarum,
Adeo ut non commoveatur.
Gaudeant coeli, et exsultet terra,
Et dicite inter gentes: Iehova regnat;
Intonet mare et plenitudo eius.

Similis membrorum transpositio est *Ps.* XVIII, 45 coll. 2 *Sam.* XXII, 45. et sic etiam in aliis locis (*c*).

β Praeterea exstant etiam exempla, maiorum pericoparum, integrorum nempe capitum, integrarumque librorum quorundam partium transpositarum, quae in Codicibus Mss. haud raro inveniunt, qui eos consulunt viri eruditi (*d*).

(*a*) Conf. *Capellus*, *l. c.*, *Lib.* I, *Cap.* V, § 11, 12, *Cap.* IX, § 10, *Lib.* III, *Cap.* VII, et *Lib.* IV, *Cap.* VII.

(*b*) Vid. *Capellus*, *l. c.*, *Lib.* IV, *Cap.* XIII, § 1.

(*c*) Plura exempla dedit *Capellus*, *l. c.*, *Lib.* I, *Cap.* XII, § 9, et *Kennicottus*, *Dissert. gen.*, § 22. Imprimis frequentia talium transpositionum exempla exhibet collatio versionis Graecae Alexandrinae cum textu Hebraeo, uti brevi conspectu ostendit *Capellus*, *l. c.*, *Lib.* IV, *Cap.* XIV, § 6.

(*d*) Evidentissima sunt exempla, quae congessit *Kennicottus*, *Dissert. gen.*, § 23, quibuscum omnino conferantur, quae notavit ibi *Brunsius*. De integris Prophetarum pericopis hoc negavit *Dathe* singulari dissertatione, quae reperitur iin Bibl. Hag. et recensetur ab *Ernestio* Th. Bibl. X, p. 958. Praesertim ordo valde turbatus fuit iam ab antiquo tempore in vaticiniis *Ieremiae*, uti docuit accurate *Eichhorn*, *l. c.*, *Tom.* III, § 539, unde et in versione Alexandrina longe diversus a textu Hebraeo est vaticiniorum Ieremiae ordo, quam diversitatem in tabella exhibet *Capellus*, *l. c.*, *Lib.* IV. *Cap.* XIV, § 7, 8. Probe autem observandum est nimium saepe temere Criticos audaciores aliqua ad hanc transpositionum classem retulisse, quae alio modo recte expediri potuissent.

§

§ 42.

D. *Quarta errorum scriptionis species, quae commissa est* permutando literas, puncta, integrasque voces, *de qua specie primum generatim agitur.*

D. Omnium frequentissima est quarta, quam § 38 indicavimus, errorum species, illa nempe, quae *permutando* committitur, utpote cui et visus auditusve error, et attentionis memoriaeque quaedam negligentia aliquando etiam accuratissimis, saepissime et vero minus attentis librariis occasionem dare potuit, uti apparebit, si distinctim permutationes quae

1) in literis,
2) in punctis,
3) in integris vocibus factae sunt, paullo accuratius consideremus, ita ut praecipue attendamus ad fontes, unde illae permutationes ortae fuerunt.

§ 43.

א *Conspectus permutationis literarum*, et quidem *α) e figurae similitudine.*

א Permutatio litterarum in Codicibus Msf. e duplice maxime causa oritur nempe

1) e figurae literarum quarundam similitudine,
2) e soni quarundam literarum affinitate.

α Similitudo figurae literarum facile oculos in errorem inducit, quo literae, quadam figurae similitudine parum differentes inter se, in describendo, permutentur, unde e. c. saepius inter se mutari possunt, mutataeque sunt literae Latinorum C et G, E et F, Graecorum *O* et *Θ*, *Γ* et *Π*, Hebraeorum ב et כ, ד et ר, ו et ז etc.

Quo autem rectius iudicare posſimus, quae literae Hebraïcae in Codd Msſ. inter ſe aliquando permutatae fuerint, multum iuvat, ut antiquisſima alphabeta Hebraïca, a viris quibusdam doctis in lucem prolata, et in nummorum quorundam inſcriptionibus conſervata (§ 13) probe cognita habere conemur, itidem, ut conferamus varietates, quae ex hoc fonte in veteres verſiones, e textu Hebraïco factas, maxime in verſionem Graecam Alexandrinam, derivatae ſunt, denique, ut inquiramus, qualis ſit figura literarum, in diverſae aetatis Codicibus Msſ. et in antiquisſimis e Codd. Msſ. confectis editionibus, utpote in quibus et literarum figurae ad figuras tunc in Codicibus obvias, accommodatae ſunt. Sic enim, uti et § 13 iam a nobis obſervatum est, videbimus, ex una quidem parte, multas literas, iam ab antiquisſimo aevo eandem, quam et nunc habent, habuisſe figurae ſimilitudinem, e. c. ב et כ, ד et ר, ו et ז, etc. alias vero, quarum figurae iam valde ſunt disſimiles, olim magnam habuisſe figurae ſimilitudinem, adeoque in iis Codicibus, e quibus antiquisſimae verſiones confectae ſunt, ſaepisſime permutatas fuisſe, e. c. א et ת, א et ד, ג et צ, ד et ז, ל et ע, etc.

Praeterea et hoc obſervandum est, literas aliquas, licet figura ſibi ſint disſimiles, aliquando tamen caſu quodam ſibi ſimiles factas, et ſic in Msſ. inter ſe permutatas fuisſe; quemadmodum e. c. per partem literae deletam ſaepius inter ſe permutatae ſunt literae ב et ר, ד et ה, ג et ו, כ et ל, מ et כ, פ et ב, ק et כ.

Haud patitur inſtituti noſtri ratio, ut omnes has literarum permutationes enumeremus, nedum ut illas multis exemplis ſtabiliamus, utpote quae longe melius uſu exercitationeque, quam e doctoris inſtitutione, diſcuntur. Hac de causſa brevem catalogum

ex-

exhibebimus praecipuarum mutationum, quas literae Hebraeae aliquando in Codd. Msf. fubierunt, propter fimilitudinem figurae, quam vel olim habuerunt, vel etiamnum habent; quo autem catologo etiam illas complectemur literas, quibus iam a longo inde tempore ufi funt Hebraei ad numeros fignificandos, coll. § 18.

א.

ג. *Ief.* XLIX, 21. גלמודה LXX אלמנה, *χήρα.*
ד. *Ief.* V, 17. כדברם LXX כאבירים, *ὡς ταύροι.*
י. *Pf.* XXXV, 20. לא שלום ידברו LXX לי pro לא, *ἐμοὶ εἰρήνικα ἐλάλουν.* Conf. *Capell.*, L. IV, C. V, § 4.
נ. *Prov.* XXV, 13. כצנת שלג *ut refrigerium frigoris*, LXX כצאת שלג, *ὥςπὲρ ἔξόδος χιόνος.*
צ. *Ief.* I, 13. און LXX צום, *νηςείαν.*
ת. 1 *Sam.* XVII, 52 גיא LXX, omisfa fimul litera י, גת, *Γεθ*, coll. *Iof. Ant.* VI, 9, 5. Cf. *Kennicott*, *Remarques critiques sur* 1 *Sam.* VI, 19, *pag.* 34, et *Disf. noftra Acad.* in *Syll. disf. Leid.*, *Tom.* II, *pag.* 1164, 1165.

ב.

ד. *Iof.* XV, 47. in textu הגבול in margine הגדול. Conf. *Eichhorn*, *Tom.* II, § 96, *pag.* 224.
ה. *Ief.* XXVIII, 16, *qui credit* לא יחיש LXX לא יביש *οὐ μὴ καταισχυνθῇ.* *Pf.* LII, 2, et alibi אחימלך. 1 *Chron.* XVIII, 17. אבימלך.
כ 1 *Reg.* XXII, 20. בבה *fic* in l. p. 2 *Chron.* XVIII, 19. ככה *Pf.* XXXVII, 20 בעשן כלו LXX כעשן *ὡσεὶ κάπνος ἐξέλιπον.* Cf. *Capell*, *L.* I, *C.* VII, § 1, et *L.* IV, *C.* V, § 2.

ל. *Pf.* II, 3. עבותימו *funes eorum*, LXX, Vulg. Syr. et omnes reliqui interpretes veteres עלותימו, *iugum eorum.* *Prov.* III, 8. לשרך, LXX, בשרך vel לבשרך, τῷ σώματί σȣ.

מ. 2 *Reg.* XX, 12 rex Babylonius בראדך idem est, qui *Ief.* XXXIX, 1 vocatur מראדך. 1 *Sam.* IV, 3 בקרבנו *in medio noftro*, LXX מקרבנו, ἐκ μέσου ἡμῶν. 1 *Sam.* VI, 20. לעמד *ftare* LXX לעבר, διελθεῖν, mutato fimul ד in ר. Conf. *Capell.*, *L.* I, *C.* VI, § 6. Obfervandum vero est in quibusdam Msf. figuram literae מ parum a כ diftare, uti apparet e fpecimine Codicis Casfellani, exhibito in titulo *Part.* I, *Bibl. Orient.* cl. *Michaëlis.* Conf. idem *Bibl. Orient.*, *Tom.* I, *pag.* 251, et *Kennicott*, *Disfert.* I, *pag.* 84 et *Disfert.* II, *pag.* 206.

נ. *Deut.* XXII, 30 פן ־תנקש *ne illaquearis*, LXX פן ־תבקש μὴ ἐκζητήσῃς. Conf. *Capell.*, *L.* IV, *Cap.* V, § 27.

ע. *Iob.* XXI, 24. עטיניו vulgo, *mulctralia eius*, LXX, e coniectura *H. A. Schultenfii*, habentes τα ἔγκατα ἀυτȣ̃, legerunt בטיניו *ventres*, feu *vifcera eorum.* *Iud.* VII, 3, uti recte obfervarunt *Clericus* et *Houbigantius*, pro הגלעד, *Gilead*, legendum est הגלבע, *Gilboa.*

פ. Qui 2 *Sam.* X, 16 et 18 vocatur שבך, idem 1 *Chron.* XIX, 15, 17 vocatur שפך. Obfervat etiam *Michaëlis*, *Bibl. Orient.*, *Tom.* I, *pag.* 253 in Msf. Casfellano fimillimas esfe figuras literarum ב et פ, apparetque idem e tabula Tomo ifti praefixa, lin. ultima. Obfervandum autem est, fieri quoque aliquando potuisfe, ut literae ב et פ ob foni affinitatem inter fe permutatae fint, uti dictum § 45.

ר.

ר *Ezech.* III, 15 in textu ואשר, in margine ואשב. 1 *Reg.* XXII, 32, ויסרו עליו *declinarunt ad eum* in l. p. 2 *Chron.* XVIII, 31, ויסבו עליו *et circumdederunt eum.*

ג.

א. Vid. א.

ו. 2 *Sam.* XXIII, 36 יגאל, 1 *Chron.* XI, 38, יואל. Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, *pag.* 224.

ז. *Ezech.* XXV, 7 in textu לבג, in margine לבז uti et LXX *εἰς διαρπαγήν.* 2 *Sam.* XXIV, 13 pro שבע שנים, ſive ז שנים, LXX legisſe videntur ג שנים i. e. שלש שנים vertentes *τρία ἔτη*, uti etiam habetur l. p. 1 *Chron.* XXI, 12.

צ. Hanc literam olim ſimillimam fuisſe literae ג, docet *Ravius*, *Exercit. adv. Houbigantium*, *pag.* 31, et apparet etiam e ſpecimine Codicis Casſellani, quod praefixit *Michaëlis*, Tomo I, *Bibl Orient.*; maxime ſi conferantur quae adduxit ex *Pſ.* XVIII, 29 (יגיה) et *Exod.* XIV, 25 (מצרים). Permutationes autem harum literarum nondum offendimus.

ד.

ב. Vid. ב.

ו. *Hoſ.* XII, 2 ושד, LXX, ושו pro ושוא *καὶ ματαία.* Conf. etiam *Eichhorn*, *l. c.*, *pag.* 225.

י. *Hoſ.* VI, 8. civitas עקבה מדם *ſalebroſa ſanguine*, LXX עכרה מים, *ταράσσουσα ὕδωρ.* *Amos* IX, 12. למען יירשו *ut posſideant*, LXX למען ידרשו, *ὡς ἐξητήσασι.*

כ. 2 *Reg.* XVI, 11 מוסך השבת, LXX מוסד השבת, *θεμέλιον τῆς καθέδρας.* Cf. etiam *Arnoldi, zur Kritik, und Exegetik des A. T., pag.* 159, 160.

ל. *Ps.* LXXV, 10 אגיד *annunciato*, LXX אגיל ἀγαλλιασόμαι. Vid. *Capell.*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* V, § 28.

ע. *Iud.* X, 12, מעון, LXX מדין *Μαδιαμ.* 1 *Sam.* XIV, 9. הגיענו *perveniet ad nos*, LXX הגידנו, *ἀπαγγειλῶμεν.*

ר. *Gen.* XXII, 13. איל אחר *aries retro*, LXX אחד *κριὸς εἷς.* *Num.* XVI, 15, *non accepi* חמור אחד *asinum unum*, LXX חמוד אחד *desiderabile cuiusdam*, *ἐπιθύμημα ὀυδενὸς.* Vid *Capell.*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* IV, § 3 et 4.

ה.

ח. *Cant.* I, 17 in textu רחיטנו, in margine רהיטנו. *Eccles.* VII, 14 היה בטוב, LXX חיה בטוב *ζῆθ' ἐν ἀγαθῷ.* Conf. *Capellus*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* IV, § 5.

כ. *Ierem.* XXI, 12. מעלליהם *opera eorum*, in textu, מעלליכם *opera vestra*, in margine. *Obadj.* col. 5. איך נדמיתה, *quomodo excisus es?* LXX, איה נרמיתה, *πῶ ἂν ἀπεῤῥίφης; ubinam proiectus es?* Conf. *Capell.*, *L.* IV, *C.* V, § 29.

מ vel ם, maxime in fine vocum. *Ies.* XXX, 32 in textu בה, in margine בם. 2 *Reg.* XI, 3 אתה, in l. p. 2 *Chron.* XXII, 12, אתם; etiam in initio, uti *Mich* VII, 12 והר pro מהר, uti apparet e praecedenti מים. Conf *Capell.*, *l. c.*, *L.* I, *C.* VIII, § 2, et *L.* IV, *C.* V, § 30.

ק. *Ps.* XCI, 14 כי חשק, *me amat*, LXX, mutato simul ש in ס, כי חסה ἐπ' ἐμὲ ἤλπισε. Conf. *Capell*, *l. c.*, *L.* IV; *C.* V, § 31.

ר. 1 *Chron.* I, 33 עיפה, nomen proprium, LXX עיפר, Γεφὰρ. 1 *Reg.* VII, 43, עשר *decem*, in l. p. 2 *Chron* IV, 14 עשה, *fecit.*

ת. 1 *Reg.* VII, 50 פתות, *cardines portae*, in l. p. 2 *Chron.* IV, 22 פתח, *ianua.* Conf. *Capell.*, *l. c.*, *L.* I, *C.* VII, § 3, et *L.* IV, *C.* IV, § 6.

ו.

ג. Vid. ג.

ד. Vid ד.

ז. *Num.* XXI, 14 והב, LXX, זהב, Ζοὸβ. *Zach.* XI, 14, *ad dissipandam* את־האחוה *fraternitatem*, LXX האחזה *possessionem*, τὴν κατάσχεσιν. Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, *pag.* 226, et *Capellus*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* V, § 10, qui tamen male adfert זיו *Ps.* L; 11 et *Ies.* LXVI, 11.

י. Sic, qui *Gen.* XXXVI, 23 dicitur עלון is 1 *Chron.* I, 40 appellatur עלין et ita sexenties. Conf. *Capell.*, *L.* I, *C.* VII, § 4, 5, et *L.* IV, *C.* V, § 9.

כ, imprimis in fine. *Ruth.* IV, 14 שמו LXX שמך, τὸ ὄνομα σȣ. Conf *Capell.*, *L.* IV, *C.* V, § 32.

ל. 1 *Sam.* XXII, 7, לכלכם, LXX וכלכם, καὶ πάντας ὑμᾶς. *Cap.* XV, 22, להקשיב, LXX והקשיב, καὶ ἡ ἐπακρόασις. 1 *Reg.* X, 1. לשם, LXX ושם, καὶ τὸ ὄνομα.

נ. *Ps.* XXXVIII, 7, נעויתי *contortus*, *incurvatus sum*, LXX, נעניתי, ἐταλαιπώρησα.

Et

Et in fine *Pſ.* CXLIV, 13 מזך אל־זך LXX, מזו אל־זו, ἐκ τȣ́τȣ εἰς τȣ̃το. Conf. *Capell.*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* V, § 13, 14.

ד. 1 *Sam.* XIV, 47 ירשיע *improbe agebat* LXX, יושיע ἐσώζετο. *Ieſ.* XXVIII, 13. צו לצו *praeceptum ad praeceptum*, LXX צר לצר, θλίψις ἐπὶ θλίψιν. Vid. *Capell.*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* V, § 33.

ז.

ג. Vid. ג.

ו. Vid. ו.

נ. *Pſ.* LXII, 11, *opulentia*, *cum* ינוב *abundet*, LXX יזוב *affluat*, πλȣ̃τος ἐὰν ῥέῃ. Conf. *Capell.*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* V, § 11, 12.

ח.

ב. Vid. ב

ה. Vid. ה.

ת *Ecclеſ.* XII, 6, in textu ירחק in margine ירתק *Pſ.* XVIII, 35 נחתה, LXX נתתה, καὶ ἔθȣ. *Obadj.* *vs.* 16, *bibent* תמיד *iugiter*, LXX חמר οἶνον. Conf. *Capell.*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* V, § 7.

ט.

מ. Ex mente *Capelli*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* V, § 21, ſed cum, quae adduxit exempla, parum probant, de hac mutatione nondum ſatis perſuaſum nobis est.

נ. Qui, 2 *Sam.* XXIII, 26 vocatur הפלטי, is 1 *Chron.* XI, 27 dicitur הפלוני.

ש. 1 *Sam.* XIV, 32 in textu ויעש, in margine ויעט.

י.

א Vid. א.
ד Vid. ד.
ו. Vid. ו.
ל. 1 *Sam.* XV, 4 עשרת אלפים 10000, LXX 30000 τριακόντα χιλιάδας; pro litera nempe, numerum denarium notante, י, legerunt literam ל, notantem 30.
נ. Qui *Gen.* XLVI, 10 vocatur ימואל, is appellatur *Num.* XXVI, 11 נמואל, et qui *Nehem.* XII, 4 dicitur גבתוי is *vs.* 16 vocatur גבתון.
ר. 1 *Chron.* IV, 31 בחצר סוסים, LXX בחצי סוסים, ἡμισουσεωσὶν.
ש. Urbs, *Iof.* XXI, 16 appellata עין, 1 *Chron.* VI, 44 vocatur עשן. Qui 1 *Chron.* VI, 9 appellatur שאול, idem *vs.* 21 dicitur יואל.

כ.

ב. Vid. ב.
ד. Vid. ד.
ו. Vid. ו.
מ. 1 *Sam.* IV, 18 pro 40 (מ) LXX habent 20, (כ). 2 *Chron.* XXII, 6 male מב 42 fcriptum est pro כב 22, uti est in *l. p.* 2 *Reg.* VIII, 26, et in verfione Syriaca. 1 *Sam.* XXIV, 20 pro וכי verfio Vulg. legit ומי *et quis.* Obfervandum est in Codd. Msf. figuras literarum כ et מ longe esfe fimiliores, quam in hodierno Alphabeto, uti apret e tabula, *Tomo* I *Bibl. Orient.* cl. *Michaëlis*, praefixa.
נ. *Mich.* II, 4, איך *quomodo* LXX אין, ὀυκ. Sic forte etiam *Exod.* XVII, 16 pro כם יה, quod nul-

nullam tolerabilem ſustinet explicationem, legendum est נס יה vel נסי יה Conf. *Capell.*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* V, § 28.

ע. *Pſ.* CIV, 12. עפאים, LXX, כפים, τῶν πετρῶν.

פ. *Amos.* VIII, 6. *vendemus* מפל בר *quisquilias frumenti*, LXX מכל פרי, ἀπὸ παντὸς γεννήματος ἐμπορευσόμεθα, *de omni proventu negotiabimur.* *Iud.* VIII, 18 איפה, *ubi?* Syr. et Chald. איכה, *quomodo*, et contra *Iud.* XX, 30 איכה, LXX legunt איפה, vertunt enim πῶ. Conf. etiam *Capellus*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* V, § 17, 18.

ך. Ex opinione probabili *Capelli*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* V, § 20. *Pſ.* LXXVI, 11. *reſiduum iratorum* תחגר *ſuccinges*, LXX תחגך, ἐγκατάλειμμα ἐνθυμίου ἑορτάσει σοι.

ל.

ב. Vid. ב.

ו. Vid. ו

מ. *Esr.* II, 2 רעליה, nomen proprium, *Nehem.* VII, 7. רעמיה. 2 *Chron.* I, 12 לבמה LXX מבמה, ἐκ Βάμα.

נ. *Prov.* VIII, 26 עד לא LXX אדוני, κύριος. *Cant.* IV, 12. גל *ſcaturigo*, LXX. גן κῆπος. 1 *Sam.* VI, 18, עד אבל הגודלה LXX אבן, ἕως λίθȣ τȣ μεγάλȣ. Conf. *Capell.*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* IV, § 6.

ע. 1 *Sam.* IX, 22 in textu Hebr. ל, 30, LXX, et *Ioſephus*, *Ant. Iud.*, VI, 4, 1, ע, 70. 1 *Reg.* VII, 21. בעז, LXX בלז, Βολωζ. Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, pag. 226, 227.

ר 1 *Chron.* VIII, 27 אליה LXX אריה, Ἐρια. *Pſ.* CXXXVIII, 8 יגמר *perficiet*, LXX יגמל ἀνταποδώσει. Conf. *Capell.*, *l. c.*, *L* IV, *C.* IV, § 7. et *Hartmann*, *l c.*, *p* 64.

מ.

מ.

ב. Vid. ב.
ה. Vid. ה.
כ. Vid. כ.
ל. Vid. ל.
נ. *Pf.* LXXX, 7 למו, LXX לנו, ἡμᾶς.
נו. *Ief.* XXXIII, 2 זרעם, Vulg. Syr. Chald. זרענו. Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, *pag.* 227.
פ. *Iof.* IX, 3 מצפה, LXX מצמה, *Μασσύμα.* 1 *Sam.* XXV, 1. פארן, LXX מען, *Μαων.* Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 97, *pag.* 232.
ר. 2 *Sam.* XII, 31. ישם *pofuit*, *l. p.* 1 *Chron.* X, 3 ישר *disfecavit.* E tabula aenea, praefixa *Bibl. Orient.*, cl. *Michaëlis*, apparet liquido fimilitudo literarum מ et ר in Msf.

ם.

ף. 1 *Chron.* XII, 35. ם 600, LXX ף, 800. Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, *pag.* 228.
ש. 1 *Reg.* V, 16 ש, 300, LXX ם, 600. Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 96, *pag.* 228.
ת. 1 *Sam.* XXIII, 13. ם, 600, LXX, ת, 400.

נ.

א. Vid. א. — ו Vid. ו.
ז. Vid. ז. ט. Vid ט. י Vid. י.
כ. Vid. כ. מ. Vid. מ.
פ. 2 *Sam.* XXIII, 35 פערי, nomen proprium, 1 *Chron.* XI, 37 נערי. 2 *Reg.* VI, 25. פ, 80, LXX נ, 50.
ר. *Esr.* II, 2. רחום, nomen proprium. *Nehem.* VII, 7 נחום. Conf. *Capell.*, *l. c.*, *L.* I, *C.* VIII, § 4.

ה. *Ios.* XXI, 18 עלמון, nomen urbis, eiusdem, quae 1 *Chron.* VI, 44 appellatur עלמת. Conf. *Capell.*, *l. c.*, *L.* I, *C.* VIII, § 4.

ם.

ם. Vid. מ.

ע.

ד. Vid. ד. — כ. Vid. כ. — ל. Vid. ל.
צ. *Hos.* VII, 12, *castigabo eos*, secundum auditum, לעדתם *coetus eorum*, LXX לצרתם, *ἐν τῇ ἀκοῇ τῆς θλίψεως αὐτῶν.* *Ps.* CXLI, 5: ברעותיהם *in aerumnis eorum*, LXX ברצוניהם *ἐν ταῖς εὐδοκίαις αὐτῶν.* 1 *Sam.* IV, 15 צ 90. Syr. et Ar. ע, 70.
ק. *Gen.* XIV, 2 בלע, LXX בלק *Βαλακ.*
ר. 1 *Sam.* XXV, 1 פארן, LXX מעון, *Μαων.* Literas ע et ר antiquitus valde similes fuisse apparet e numo, quem exhibet *Kennicottus*, *Remarques Critiques sur* 1 *Sam.* VI, 19, *pag.* 34.
ש. *Iud.* VIII, 16. וידע, LXX וידש, *καὶ ἠλόησε.* Forte et LXX *Iob.* XIV, 16 pro תשמר legerunt תעבר *παρελθῇ.* Conf. annotatio nostra ad h. l.

פ.

ב. Vid. ב. — כ. Vid. כ.
מ. Vid. מ. — נ. Vid. נ.
ם. mutatur cum ף. Vid. ם.

צ.

נ. Vid. נ. — ע. Vid. ע.

ק.

כ.

ה. Vid. ח.
ע. Vid. צ. — ף. Vid. פ.
ר. 1 *Sam.* XVIII, 28. ר, 200. LXX, ק, 100. *Levit.* VII, 21. pro שקץ quidam Codd. apud *Kennicottum* et *Rossium* habent שרץ, uti etiam legunt Sam., Targum, Syrus et Arabs, coll. *Michaëlis*, *Bibl. Orient.*, *Tom.* I, *pag.* 169, 170.
ת. 1 *Reg.* IX, 28. ת. 400, LXX, ק, 100.

ר.

ב. Vid. ב. — ד. Vid. ד. — ה. Vid. ה.
ו. Vid. ו. — י. Vid. י. — ל. Vid. ל.
מ. Vid. מ. — נ. Vid. נ. — ק. Vid. ק.
ת. 2 *Sam.* XI, 3, et XII, 24, בת־שבע, LXX בר־שבע Βηρσαβεε. *Ezrae* II, 28, ר 200, LXX ת, 400, *Prov.* VIII, 27 תהום, LXX רוחים, ἀνέμων. Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, *pag.* 228.

שׂ et שׁ.

י. Vid. י. — ם. Vid. ם. — ע. Vid. ע.
שׂ et שׁ saepissime inter se permutantur. Sic *Ps.* L, 23 ושם דרך *ponens viam* LXX ושׁם דרך, *καὶ ἐκεῖ ὁδὸς*. *Ps.* LXVIII, 26 שׁרים, *cantores*, LXX שׂרים, ἄρχοντες. Conf. *Capell.*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* II, § 28.

ת.

א. Vid. א. — ה. Vid. ה. — ח. Vid. ח.
ם. Vid. ם. — נ. Vid. נ. — ק. Vid. ק.
ר. Vid. ר.

§ 44.

Hac occasione quaedam adduntur de permutatione literarum, numeros indicantium.

Sumsimus § 43, numeros iam apud vetustiores Hebraeos literis significatos fuisse:

Certum scilicet nobis est, numeros aliquando integris vocibus, aliquando vero literarum notis in Codicibus Msf. significatos fuisse.

Prius e quamplurimis liquet exemplis. Sic *Pf.* XVI, 11 pro שֹׂבַע *satietas*, versio Alexandrina, habens ἑπτὰ, legit שֶׁבַע. *Nehem.* V, 11 מְאַת הַכֶּסֶף *centupla pars argenti*, LXX מֵאֵת הַכֶּסֶף, ἀπὸ τοῦ ἀργυρίȣ, et alibi (*a*).

Alterum vero e multis itidem liquet exemplis variantium in numeris lectionum, quarum nulla potest dari ratio, nisi hoc assumatur, numeros saepe etiam literarum notis indicatos fuisse. Talium lectionis varietatum multa exempla adducta sunt § 43, quibus longe plura addi possunt, et a multis addita sunt (*b*). Accedit et hoc, Iudaeorum antiquiorum, et Hieronymi testimonio, aeque ac multis Codicibus Msf. idem doceri (*c*). Conf. dicta § 18.

(*a*) Plura exempla dederunt *Hassencamp*, *Erinnerungen gegen Dr. Kennicotts Anmerkungen über* 1 *Sam.* VI, 19. (Frankfurt und Leipzig 1770), *pag.* 45 seqq. et *Eichhorn*, *l. c.*, *Tom.* I, § 90, *pag.* 208.

(*b*) Conf. *Kennicott*, *Dissert.* II, *pag.* 204 seqq. *Michaëlis*, *Orient. Bibl.*, *Tom.* V, *pag.* 328—351 et *Tom.* VI, *pag.* 180—216, *Eichhorn*, *l. c.*, *pag.* 205, 206, 207. *Bauer*, *l. c.*, § 23.

(*c*) Vid. *Kennicott*, *Dissert.* II, *pag.* 202, 208. *Dissert. Gen.*, *pag.* 54. Alios viros eruditos, quorum eadem est sententia enumerat *Kennicottus*, *Diss.* II, *pag.* II, *pag.* 209, et *Iahn*, *l. c.*, § 130, *pag.* 473.

§ 45.

β. *Conſpectus permutationis literarum* e ſoni affinitate.

β. Frequentisſime etiam ſoni quarundam literarum affinitas earum inter ſe in Msſ. permutatarum causſa exſtitit, maxime tunc, cum, uti ſaepius fiebat, verba ſcribis in calamum dictabantur.

Triplici imprimis de causſa permutatio haec fieri potuit:

1) per naturalem ſoni quarundam literarum affinitatem, e. c. ב et ו, ז, צ, ס, ש.

2) per diverſam eiusdem literae pronunciationem. Sic ע ab aliis, uti ع vel غ Arabicum pronunciabatur, ab aliis, uti נ, e. c. a Graecis interpretibus, qui eius loco in nominibus propriis γ collocare ſolent. Sic etiam א, intra duas vocales poſitum, aliquando, Syrorum more, ut י pronunciabatur, denique

3) e vitio pronunciationis quarundam literarum, quo aliqui laborabant, quemadmodum e. c. Galilaei ac Samaritani omnes literas gutturales (אהחע) ut א pronunciabant.

Si iam Scribae, quae alii dictabant, ea in calamum exciperent, facile talia vitia committebant, neque minus facile in ea dilabebantur, ſi quando Codices deſcriberent, talibus vitiis infectos.

Tabella harum permutationum, ordine alphabetico diſpoſita, haec ſit.

א.

ח. 2 *Reg.* XVII: 21 in textu וידא, in margine וידח *et impulit*, a themate נדח. 2 *Reg.* II, 14 אף־הוא, Theodotion חפי χρυφίος.

 י.

י. ex pronunciatione Syrorum, quando collocatur inter duas vocales. Sic permutantur דואג et דויג. 1 *Sam.* XXII, 18, coll. vs. 22. Cf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 97, *pag.* 231.

ע. Sic saepe inter se mutantur אל et על. *Ps.* LXXXIX, 23 לא ישיא, LXX ἐκ ὠφελήσει e lectione לא ישיע. 1 *Reg.* XII, 16. ראה LXX רעה *βοσκε.*

ב.

ו. Sic *Dan.* VII, 10 רבון in quibusdam Codd. est רבבן.

ג.

כ. *Prov.* XXV, 4 הגו, LXX הכה *τύπτε.* *Gen.* XLIX: 5 מכרותיהם *instrumenta eorum*, Onkelos habens, תותבתהון legisse videtur מגרותיהם *mansiones eorum.*

ע. 2 *Sam.* XIX: 24 עשה, Symm. גזה *ἐκείρατο.* *Exod.* XV: 21 ותען Vulg. ותגן *praecinget.*

ק. 1 *Reg.* VII, 45 מזרקות *patinae*, in *l. p.* 2 *Chron.* IV, 16 המזלגות *fuscinulae*, mutatis simul ל et ר.

ד.

ז. ד enim aliquando cum sibilo pronunciabatur, ita fere, ut *ds* sonaret, qua ratione parum differebat a sono literae ז. Sic 1 *Chron.* XII, 33 לעדר *disponendo*, LXX לעזור *auxiliando*, τȣ̃ *βοηθῆσαι.* *Hab.* III: 6 עד LXX עז *βία.* Conf. *Capell.*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* IV, § 8. et *Hartmann*, *l. c.*, *pag.* 95 not.

ט. *Hab.* III: 6 וימדד, LXX וימוטט *καὶ ἐσαλεύθη*.
ש. *Pf.* XXXI: 8 ידעת, LXX ישעת *ἔσωσας*.
ת. Ob eandem rationem, utpote qua faepe ut *ts* pronunciabatur, five ut *th* Anglorum. Sic *Hof.* XII, 12 עד *adhuc*, LXX עת, *νῦν*. Conf. *Capell.*, *l. c.*, *L.* I, *C.* VI, § 4, *L.* IV, *C.* IV, § 6, et *Eichhorn*, *l. c.*, *pag.* 231.

ה.

ע. *Gen.* XIV: 5. הזוים nomen gentis. Onkelos תקיפיא *fortes*, *robusti* e lectione עזוים.

ו.

ב. Vid. ב.
פ. 1 *Sam.* XXI, 14. ויתו *et fignavit*, feu *lineas duxit*, LXX ויתף *καὶ ἐτυμπάνισε*. Conf. *Capell.*, *l. c.*, *L.* IV, *C.* V, § 34.

ז.

ד. Vid. ד.
ס. 2 *Chron.* XXXV: 26. וחסדיו LXX *ἡ ἔλπις αὐτȣ̃* forte e lectione וחזותיו prouti vocem חזות enim *ἔλπιδα* vertunt *Ief.* XXVIII: 18.
צ. Sic 1 *Sam.* VI, 5. בכל־עצי ברושים *cum omni genere lignorum abiegnorum*, in *l. p.* 1 *Chron.* XIII, 8 בכל־עז ובשירים *omnibus viribus et cum canticis*. Conf. *Capell.*, *l. c.*, *L.* I, *C.* VI, § 5.

ח.

א. Vid. א. כ. Vid. כ.
ע. Etiam ob foni vicinitatem, cum, ficut ad literam ג

obſervatum est, litera ע ſaepe uti noſtra litera *g* pronunciaretur. Sic זרע *Pſ.* XCVII, 11, LXX, Chald. et varii Codd. זרח. 2 *Reg.* XX, 13 וישמע *et audivit*, in *l. p. Ieſ.* XXXIX, 2. וישמח *et laetatus est.*

ק. *Hoſ.* VII, 6. קרבו LXX, ἀνεκαύθησαν, e lectione חרבו. *Exod.* XXXV, 35. חרש, LXX ἅγιος e lectione קדש, mutata ſimul ר in ד. *Ezech.* XLI, 16 שחיף *tenuitas, lignum tenue*, LXX διακύπτειν, e lectione שקיף.

ט.

ד. Vid. ד.

י.

א. Vid. א.

כ.

ג. Vid. ג.

ח. *Hoſ.* III: 2. שערים *triticum*, LXX שכרים οἶνος.

ס.

ז. Vid. ז.

צ. *Gen.* XLII: 17. ויאסף, LXX ויצב καὶ ἔθετο.

ח. 1 *Chron.* XII: 17 חמס, LXX אמת ἀλήθεια.

ע.

א. Vid. א. ג. Vid. ג. ה. Vid. ה.

ח. Vid. ח.

פ.

ן. Vid. ו.

צ.

ז. Vid. ז.
ש. 2 *Sam.* VIII, 3 להשיב ידו in l. p. 1 *Chron.* XVIII, 3. להציב ידו.

ק.

ג. Vid. ג.
ה. Vid. ה.

ש.

ד. Vid. ד. צ. Vid. צ.
ת. *Iob.* XXVIII, 18. משך, Aq. γλυκὺ, e lectione מתק.
את. *Ies.* XXXVI, 22, LXX אש, πυρὸς.

ת.

ד. Vid. ד.
ש. Vid. ש.

(*a*) Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 97, et *Iahn*, *l. c.*, § 132. Librarios iam ab antiquisſimo tempore ſaepius calamo excepiſſe, quae alii male dictabant, variis argumentis docuit *Hartmann*, *l. c.*, pag. 33 ſqq. quamquam inter exempla quae adfert plura ſint haud idonea.

§ 46.

ב. *Conſpectus permutationis punctorum.*

ב. Postquam dictum a nobis est de permutatione literarum, in Codicibus Msſ. ſaepius facta, § 43—45 ſequitur, ſecundum partitionem § 42 inſtitutam, ut videamus, qua ratione et puncta aliquando mutata fuerint.

Puncta infinitis vicibus inter ſe mutata esſe, nemo mirabitur, qui ingentem minutae istius ſupellectilis numerum conſideraverit.

Nullius vero utilitatis esſet opera in conquirenda et examinanda accentuum aliorumque punctorum, quae Grammaticorum Iudaeorum diligentia invenit, varietate collocata. Ad ſolam autem varietatem illorum punctorum, quorum differentia ſenſus differentiam affert, ſedulo attendendum est, nempe Dagesch forte, Schevata, et imprimis Vocales.

Obſervandum autem est, varietatem punctorum, maxime vocalium, esſe permagnam, quod fere quavis pagina invenient, qui veteres verſiones conſulunt, et prae aliis magna exemplorum copia oſtendit *Capellus*, *Crit. S.*, *L.* IV, *C.* II, § 3—29. *L.* V, *C.* II, § 2. *C.* IV, § 1—9. *C.* VIII, § 1—7. Immo et postquam punctuationis ſyſtema a Maſorethis conſtitutum est, multas adhuc reperiri punctorum, imprimis vocalium, in Codicibus Msſ. varietates, eorum collatio evidentisſime docet.

Cum vero, uti dictum est § 15, ſystema punctuationis, prouti illud nunc ſeſe habet, ſoli debeatur Grammaticorum Iudaïcorum ingenio, ac non, niſi periodo temporis, quae a ſaeculo VI ad XI procedit, a Doctoribus Iudaeorum Maſorethicis expolitum, atque ad eas, quibus iam adſtrictum est, regu-

gulas exactum fuerit; consequitur, punctuationem illam ex una parte haud esse mutandam pro solo lubitu, aut in gratiam quarundam singularium opinionum, quas quis absque tali mutatione sustinere nequeat, uti e. c. in gratiam systematum quorundam metrices Hebraeae, fecerunt *Meibomius*, *Fr. Haze*, et *cl. Greve*, cum, uti ibidem dictum est, haec punctuatio universe nobis exhibeat pronunciationem antiquiorem, traditione propagatam; ex altera vero parte non eam huius punctuationis esse auctoritatem, quae nos impediat, quo minus, si validae adsint rationes, aliquas in ea faciamus mutationes: qua de caussa optandum est, ut in collatione non tantum veterum versionum, verum et Codicum Msf. Editionumque principum, non solarum literarum sed etiam punctorum, maior, quam huc usque plerumque factum est, ratio habeatur.

§ 47.

ג. *Conspectus permutationis integrarum vocum.*

ג. Tandem vero non literae tantum (§ 43, 44, 45) et puncta (§ 46), verum etiam, uti § 42 iam praemonitum est, *integrae* aliquando *voces* in Codicibus Msf. inter se permutantur. Fit autem hoc praecipue quadruplici de caussa.

α. Vitio memoriae et attentionis haud raro scribae inter se permutabant voces idem significantes, qua ratione crebro inter se permutantur e. c. לא et בל. אל et ל, מן et מ, ויאמר et וידבר, etc. Sic et *Mich.* I, 4, 2 Codd. K. et R. vitio memoriae pro והעמקים posuerunt vocem והגבעות, utpote quod alibi cum הרים saepius coniungitur. Sic et ibid. vs. 6, 17 Codd. Kenn. pro שמרון habent ירשלם, quemadmodum et ibidem pro ויסודיה, unus Cod. K. habet

bet ויסודתיה. *Ier.* XXIX, 18 pro ולשרקה. multi Codd. K. et R. habent ולקללה, per negligentiam mutando voces parum differentes (*a*).

β. Alter talium permutationum fons in eo est, quod haud raro aliter pronunciarent, quam legendum esset, unde saepissime nomina יהוה, אדני et אלהים inter se permutarent. Etenim pro nomine יהוה semper אדני, vel pro אדני יהוה semper dicebant אדני אלהים (*b*). Hinc etiam varia vitia orthographica in textum irruperunt. Sic ex pronunciatione 2 *Reg*. IX, 15 pro להגיד scribitur לגיד.

γ. Accedebat aliquando etiam, quod nonnulli scribae in textum inferrent orthographiam in ea usitatam dialecto, qua forte uterentur vernacula. Hinc e. c. in Mss. pro את aliquando invenitur particula Chaldaïca ית. Similiter י aliquando, ad vocalem praecedentem Tzeri vel Segol indicandam, ex usu Rabbinorum additur; uti *Exod*. XXV, 31. תיעשה pro תעשה, etc. (*c*).

δ Fieri etiam potuit ut vitia pronunciationis aliquando in textum irreperent. Sic cum multi Iudaei Kamets fere ut Cholem pronuncient, facillime etiam illas vocales in scribendo inter se permutare potuerunt librarii.

(*a*) Largam exemplorum, hoc probantium, segetem adduxit *Vogelius*, not. ad *Capelli*, *Crit. S.*, *Tom.* I, *pag.* 45 seqq. *Conf. Rossi*, *ad h. l.*

(*b*) Conf. *Tychsen*, *tentamen de variis Codd. Hebr. Mss. generibus* (Rostochii 1772) *pag.* 278 seqq. et *Kennicott*, *Dissert. Gen.*, § 25, *pag.* 48, edit. Brunsii.

(*c*) Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 107.

§

§ 48.

II. *Secunda clasſis variantium lectionum, orta* e falſis iudiciis.

II. Sequitur iam, ſecundum § 37, altera, variantium lectionum clasſis, quae *e falſis iudiciis* eorum orta est, qui Codices deſcriberent, utpote qui eo aliquando in caſu verſabantur, quo ad contextum ex iudicio ſuo corrigendum impellerentur. Pertinent autem ad hanc clasſem, — mutatio facta e locis parallelis, — ignorantia vel expletio haud raro erronea compendiorum ſcribendi, — glosſemata e margine in textum illata, — additamenta, ex aliis fontibus, textui inſerta, — perverſae vocum diviſiones, — correctiones quaedam textus arbitrariae.

§ 49.

A. *Prima variantium lectionum, e falſis iudiciis ortarum, ſpecies*, mutatio, facta e locis parallelis.

A. Cum variae ſint in Codice ſacro pericopae, quae vel verbotenus, vel ſaltem, quod ad rem attinet ſummam, plus ſemel in Codice ſacro exſtent (*a*), conſuetudo librariorum, loca parallela inter ſe ſimilia reddendi, haud exiguam ſaepe peperit lectionis varietatem, uti multis probari potest. Sic verba 2 *Reg.* XX, 7, 8. inſerta ſunt textui Ieſaiae *Cap.* XXXVIII, 21, 22, ſed loco minus commodo, cum potius collocanda fuisſent inter verſum 6 et 7. Res autem ſic ſe habuisſe videtur, ut ea primum ad marginem poſita ſint, dein vero e margine in textum, ſed loco parum apto, pervenerint. *Gen.* XLIII, 8, uti iam notavit

I.

I. H. Michaëlis, לאבי in quibusdam Msf. legitur pro לך, ex *Gen.* XLIV, 32. — *Ief.* LXI, 4 post בנו Codex Regiomontanus fecundus, auctore cl. *Lilienthalio*, *Defcript. Codd. Regiomont.*, *pag.* 346 inferit ממך, fine dubio quia fic legitur in loco fimili *Ief.* LVIII, 12. — *Ier.* XXXIII, 15, in editione Gerfoniana leguntur verba ומלך מלך והשכיל, fed quae addita funt e loco, qui huic valde fimilis est, *Ier.* XXIII, 5, 6 (*b*).

(*a*) Loca talia funt notisfima. Eorum plurima exhibet *Eichhorn*, *l. c.*, § 93, *pag.* 212.

(*b*) Plura exempla videri posfunt apud *Eichhornium*, *l. c. Iahnium*, *l. c.*, § 133, et imprimis *Vogelium*, *not. ad Capell.*, *Crit. S.*, *Tom.* I, *pag.* 50, 51.

§ 50.

B. *Secunda fpecies*, ignorantia vel expletio erronea compendiorum fcribendi.

B. Cum porro haud quidem faepe, attamen aliquando in Codd. Msf. aliquae voces per compendium fcribantur, five, ut dicunt, *abbrevientur* (*a*); fieri vix aliter potuit, quin illorum ignorantia, vel et erronea expletio, quibusdam varietatibus lectionis anfam dederit. Quod variis exemplis illustrari potest. Sic per ignorantiam compendiofae fcriptionis באר̄ צ̄ fcriptum est בארץ 1 *Reg.* IX, 18 pro בארם צובה, coll. l. p. 2 *Chron:* VIII, 3. *Pf.* XXXI, 7 legitur שנאתי, pro quo omnes veteres interpretes legerunt שָׂנֵאתָ יר״ ה quod compendiofe fcriptum fuerat י״ שָׂנֵאתָ. Et fic, ne alia exempla cumulemus, haud raro ם in terminatione plurali in Msf. omittitur unde e. c. *Pf.* XLV, 9 est מני pro מנים (*b*).

(*a*)

(*a*) Sic e. c. ישר pro ישראל, אמ pro אמר, מושי pro מושיע etc. ſaepius in Msſ. occurrit. Conf. *Baueri*, *l. c.*, *pag.* 177, 178.

(*b*) Plura exempla dederunt *Eichhorn*, *l. c.*, § 102, *Iahn*, *l. c.*, § 134, *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 178.

§ 51.

C. *Tertia ſpecies*, glosſemata e margine in textum illata.

C. Aliquando et perverſo iudicio glosſemata, quae margini codicum Msſ. adſcribi ſolebant, in textum inferebantur. Sic *Ieſ.* VII, 17 verba, את מלך אשור quae ibi prorſus importuna ſunt, e glosſemate in textum illata fuisſe *Houbigantius*, *Lowthus*, aliique iam ſaepius animadverterunt. *Ieſ.* IX, 15 verba *caput ſeniores ſunt et auctoritate praediti*, *cauda autem est propheta*, *docens falſa*, manifestum continent glosſema verborum *Iehova caput et caudam abſcindet col.* 14. Multa talia glosſemata ſunt in pentateucho Moſaïco, ad complendam hiſtoriam primum margini appoſita, deinde vero textui ipſo inſerta vel adiecta, uti *Deut.* II, 10, 11, 12. III, 9, 10, 11. X, 6—9, etc. Quaedam verba autem glosſematum loco habenda esſe, inde dignoſcitur, quod cum reliqua oratione nullo modo cohaereant, quod a ſcriptoris ſtilo prorſus ſint aliena, quod frigidam efficiant tautologiam, quod omnino ſenſum turbent, denique duae quod occurrant phraſes, quae quidem idem ſignificent, ſed quarum una alterâ est perſpicuior.

Conf. *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 174, 175, et *Iahn*, *l. c.*, § 135. Interea ſummam esſe prudentiam adhibendam, ne glosſematum loco ea habeamus, quae talia non ſunt, recte monet cl. *Heringa*, *Over het gebr. en misbr. der kritiek*, *pag.* 446 ſeqq. quamquam inter exempla, quaedam ſint, e noſtro iudicio aliena.

§

§ 52.

D. *Quarta ſpecies*, additamenta ex aliis fontibus textui inſerta.

D. Fieri etiam potuit, et factum aliquando revera est, ut unius eiusdemque hiſtoriae diverſae esſent relationes, ſive ſcripto mandatae, ſive per traditionem propagatae, quo in caſu aliquando una narratio ad alterius marginem ponebatur, ac deinde etiam, narratione marginali in textum illata, ipſe textus interpolabatur.

Sic ea, quae leguntur 1 *Sam.* XVII, 12—31, 50, 55—58. XVIII, 1—5, 9—11, 17—19 ex alia quadam narratione primum margini appoſita, deinde e margine in textum illata videntur. Etenim talia continent, quae narrationis filum ſaepe abrumpunt, et reliquae hiſtoriae ſunt contraria, quemadmodum et in multis exemplaribus verſionis Graecae Alexandrinae non reperiuntur (*a*). Similiter *Ier.* X, 11 pericope Chaldaïca, ex alio quodam libro deſumta videtur, primum forte margini adſcripta ad explicanda verba *vs.* 15, *idola varia ſunt et ridicula, peribunt quando Deus in illa animadvertet*, deinde vero, loco valde importuno, in textum inſerta (*b*). Itidem pericope *Gen.* XXXVI, 31—43, quae a Moſe conſcribi non potuit, deſumta est ex 1 *Chron.* I, 43—54, unde primum margini libri Geneſeos adſcripta, deinde in textum illata est (*c*).

(*a*) Conf. *Kennicott*, *Disſert.* II, *ſuper ratione textus Hebr*,, *pag.* 407 ſeqq. et *Disſert. Gen.*, *pag.* 30 ſeqq. edit. Bruns. itidemque *Iahn*, *l. c.*, *pag.* 480, 481 et quem ille citat, *Michaëlis*, cum in *notis ad verſ. Germ.* tum, *in Bibl. Orient. Append. Tom.* XII, *pag.* 196, et *Tom.* XX, *pag.* 31 ſeqq.

(*b*)

(*b*) Eodem fere redit ſententia cl. *Venemae*, probata etiam a cl. *Dathe*, coniicientis, hunc verſum, ab alio quodam viro divino ſcriptum, et textui inſertum esſe, ut Iudaei eo, tamquam confesſionis formula, contra Chaldaeos uterentur. Haud improbabile est, hoc conſilio verba haec primum ad marginem poſita fuisſe, verum tamen ſimul obſervandum est, verſum 15 huic additamento anſam dedisſe, illudque locum deinde in textu occupasſe valde importunum, talem nempe, qui orationem Prophetae prorſus interrumpat.

(*c*) Conf. *Kennicott*, *Disſert. Gen.*, *pag.* 29, 30, ubi et additur illustrem *Michaëlis*, idem existimasſe de loco *Ier.* XXXIII, 14—26.

§ 53.

E. *Quinta ſpecies*, perverſae vocum diviſiones.

E. Cum, uti probatum est § 17, Hebraei antiquisſima aetate literas vocesque ſine ulla diviſione continua ſerie ſcribere ſolerent; mirum non est iudicium deſcriptorum, postquam diviſim ſcribi voces coeptum est, ſaepius dubitabundum haeſisſe, quomodo voces esſent dividendae: immo et ſaepe in hoc iudicio eos non variasſe tantum, ſed a vero etiam aberrasſe. Itidemque hinc liquet, mirum non esſe, in vocibus dividendis ſaepe valde discrepasſe illos veteres interpretes, qui translationes ſuas confecerunt e Codicibus, in quibus voces una ſerie continua conſcriptae erant, ſaltem paucisſimae vocum diviſiones reperiebantur (coll. § 18.)

Aliquas ex hoc fonte ortas lectionis varietates, vocum nempe coniunctim ſcriptarum ſed diviſim legendarum, vel diviſim ſcriptarum ſed coniunctim legendarum, annotarunt Maſorethae (*a*).

Plura exempla addi posſunt: ſic *Pſ.* XLII, 6, 7

pro ישועת פניו אלהי legendum est cum LXX, Syro et multis Codd. Msf. ישועת פני ואלהי. Itidem *Hof.* VI, 5 pro ומשפטיך אור יצא cum LXX, Syro, Arabe, et Chaldaeo legendum est: ומשפטי כאור יצא *iudicium meum tamquam lux emicabit*, quibus exemplis multa fimilia quivis attentus et critices peritus Codicis Hebraei lector facile inveniet (*b*).

(*a*) Fufe de illis lectionis varietatibus egit *Capellus*, *l. c.*, *L.* III, *C.* IV et V.

(*b*) Conf. *Bauer*, *l. c.*, § 179, 180. *Eichhorn*, *l. c.*, § 103. *Iahn*, *l. c.*, § 136.

§ 54.

F. *Sexta fpecies*, correctiones textus arbitrariae.

F. Tandem etiam iudicium criticorum Iudaeorum aeque ac Scribarum quorundam fe exercuit correctionibus quibusdam textus facri, factis ex arbitrio, id est, propter rationes e folo ingenio fuo depromptas, et quidem quadruplici de causfa.

א Studium allegoricae interpretationis quam Iudaei appellant מדרש, in causfa fuit, ut faepe per ineptum quendam ingenii lufum literas quasdam demerent, adderent, transponerent, aliter dividerent, voces cum aliis eiusdem foni vocibus permutarent, fimilibusque aliis ineptiis oleum et operam perderent (*a*). Iam autem facile fieri potuit, ut e Codicibus, a Doctoribus Iudaeorum ad istas ineptias accommodatis, quales aliqui exftant, qui Codices Midrafchifchi appellari folent, argutiae quaedam in ipfum textum, librariorum, has esfe veras lectiones arbitrantium, culpa irrepferint. Locorum ex hoc fonte in quibusdam Codicibus mutatorum iam in ipfo Thalmude, aliisque antiquioribus Iudaeorum libris

bris mentio fit. Sic in *Bereschit Rabba*, *sect.* IX, *fol.* 7, *col.* 1, *lin* 7, edit. Venet. 1605 commemoratur lectio Codicis cuiusdam; legentis *Gen.* I, 31. והנה טוב מות *et ecce mors est bona*, pro והנה טוב מאד *et ecce valde bonum erat*, ex lusu nempe cuiusdam doctoris allegorici, qui מאד converterat in vicinae pronunciationis vocabulum מות (*b*). Hinc quoque ne plura adferamus exempla, ortum est, quod iam LXX *Iud.* XVIII, 30 invenerint scriptum מנשה pro משה, itidem e lusu inepto Iudaei, qui ita nomen Mosis mutaverat, ne filius Mosis in idololatram converteretur (*c*).

ב Magistrorum Iudaeorum cura, pro vocibus vel phrasibus immundioribus et obscoenioribus reponendi ad marginem voces phrasesque, quae ipsis videbantur mundiores et castiores, effecit, ut haud raro in quibusdam Codicibus illae in textum transierint, quemadmodum sic e. g. 2 *Reg.* XVIII, 27 et *Ies.* XXXVI, 12 pro שיניהם *lotium eorum* ad marginem posuerant מי רגליהם *aqua pedum illorum*, *Deut.* XXVIII, 30, *Ies.* XIII, 16, et *Zach.* XIV, 12 pro שגל, ipsum actum venereum notante reposuerunt verbum honestius שכב *cubare*, et sic etiam in aliis locis quibusdam (*d*).

ג Aliquando etiam aliam quandam habebant, vel sibi saltem fingebant, normam, ad quam hic illic lectionem immutandam censebant.

Scilicet

α. Postquam Iudaei paraphrasibus Chaldaicis textum sacrum explicarunt, iisque plerumque eo magis uti coeperunt, quo identidem veteris dialecti Hebraeae facti sunt ignoratiores, mirum non est, Masorethas ac librarios, si quando differentiam lectionis inter paraphrases illas et textum Hebraeum reperi-

 rent,

rent, illum ſecundum paraphraſes Chaldaïcas fere mutasſe, id quod variis probari poteſt exemplis, imprimisque tunc locum habere videtur, quando, uti ſaepe fit, cum omnes vel pleraeque verſiones antiquae a textu Maſorethico disſentiunt, ſola cum illo convenit paraphraſis Chaldaïca (*e*).

β. Sunt etiam exempla mutationum quarumdam lectionis factarum ſecundum aliquas Doctorum expoſitiones, (פרשים) vel ideo, quod illas inter ſcribendum animo praeſentes habebant, vel etiam, quod eas e margine, cui aliquando adſcriptae erant, in textum inferebant. Sic *Deut.* XXIII, 3 unus Codex Kenn. pro ממזר legit מומזר, forte, quod praelector animo vel margini adſcriptam habebat explicationem Maimonidis, qui ממזר idem esſe exiſtimat ac מום זר (*f*).

γ. Denique, poſtquam Iudaei grammaticae veteris ſermonis Hebraei eo maiorem dederant operam, quo magis vivus illius uſus in deſuetudinem abierat, haud raro veteres et exquiſitiores voces dictiones conſtructionesque ad recentiora illa grammatices praecepta immutarunt. Hinc e. c. multi Codd. apud Kennicottum et Rosſium 1 *Chron.* II, 48, pro ילד habent ילדה et 1 *Sam.* XXV, 27 הביא mutant in הביאה, itidem *Deut.* XXII, 23 יהיה in תהיה, ut nempe, ſecundum grammaticen genus verbi et nominis convenire facerent, non cogitantes in veteri lingua convenientiam illam non esſe perpetuam coll. *Synt. Schroed. Reg.* LVI, et ſic in multis aliis.

ד Haud deſunt tandem etiam exempla, quae ſaepius probabile immo et aliquando certum efficiant, ſoluisſe Iudaeorum Criticos ac librarios etiam ibi, ubi nullum aliud remedium iis ad manus erat, per coniecturam ex ingenio textum corrigere. Apparet hoc

hoc ex iis, quae de Iudaeorum סבירין i. e. *coniecturis* dicta sunt § 27. Et sunt etiam alia exempla, quibus hoc probari potest. Pertinet huc, quod aliquando correxerint ea, quae haud satis accurate scripta putarent, uti *Gen.* VII: 3, 4. etc. (*g*).

(*a*) Ingentem exemplorum copiam adduxit *O. G. Tychsen*, *Tentam. de Codd. Hebr. V. T.*, *pag.* 198 seqq.

(*b*) Plura exempla dedit *Tychsen*, *l. c.*

(*c*) Conf. praeter *Tychsenium*, *l. c.* et *Eichorn*, *l. c.*, § 95a. annotationes nostrae philol. et crit. ad *Ps.* XV, 4.

(*d*) Plura exempla dat *Capell.*, *l. c.*, *L.* III, *C.* VI.

(*e*) Exempla suppeditat *Eichhorn*, *l. c.*, § 95b. et praesertim § 218. Conf. etiam *Michaëlis*, *Orient. Bibl.*, *Tom.* I, *pag.* 141. Plura videbimus capite sequente.

(*f*) Conf. *Eichhorn*, *l. c.* § 95b.

(*g*) Exempla dat *Eichhorn*, *l. c.*, § 95b, et praesertim *Vogel*, ad *Capell.*, *Crit. S.*, *Tom.* I, *pag.* 48.

§ 55.

III. *Disquiritur, an etiam tertia detur variantium lectionum classis, orta e malevolo textus corrumpendi studio.*

III. Quaeritur tandem, utrum aliquando etiam malevolo Iudaeorum studio textus Hebraïcus corruptus fuerit?

Patres quidem Ecclesiae Iudaeos incusarunt corrupti studio textus Hebraei; sed omnino male; cum enim Patres Ecclesiastici versionem Alexandrinam censerent divinitus inspiratam, Iudaei autem in suis cum Christianis disputationibus semper provocarent ad textum Hebraeum; illi omnia, quae in versione illa exstabant, nec tamen in textu Hebraeo reperiebantur, a Iudaeis ex eo ablata sibi falso imaginabantur (*b*).

Porro et recentiore tempore fuere, qui huius criminis Iudaeos accuſarent, et in his praecipue *Whistonus* et *Kennicottus* (*b*); verum tamen et reverentia, qua Iudaei ſemper libros ſacros proſecuti ſunt, et inſufficientia exemplorum, quibus hoc Eruditi quidam probare conati ſunt, tale crimen Iudaeis impingere vetant (*c*).

Quamquam negandum non videtur, Iudaeos in locis, ubi varietas lectionis quodammodo Iudaïcae ac Christianae doctrinae discrimen attingat, eam lectionem praetulisſe, quae Iudaïcis opinionibus aliquid praeſidii ſubminiſtrare poſſe videretur, uti *Pſ.* XVI, 10. חסידיך pro חסידך. *Pſ.* XXII, 17. כארי pro כארו. *Ieſ.* LIII, 8 נגע למו pro נגע למות (*d*). Illa autem loca et paucisſima esſe, et facile expediri ſimul est certisſimum.

(*a*) Conf *G. Fabricy*, *l. c.*, *Tom.* I, *pag.* 139 ſeqq.

(*b*) *Whistonus* nempe in libro Anglico *de vero textu V. T.* (*Esſay on the true text of the Old Testament*) *Lond.* 1722. et *Kennicottus*, *Disſert.* II *ſupra ratione textus Hebr. Cap.* I.

(*c*) Conf. *Bauer*, *l. c.*, § 7, *pag.* 101, et § 22, *pag.* 184, itidemque *Eichhorn*, *l. c.*, auctoresque ab iis citati.

(*d*) Est haec coniectura non improbabilis *Iahnii*, *l. c.*, *Tom.* I, § 138.

CA-

CAPUT QUARTUM.

ADMINICULA, QUIBUS IN DIIUDICANDA LECTIONUM VARIETATE UTI POSSIMUS, MODUSQUE, QUEM IN IIS RECTE UTENDIS OBSERVARE OPORTEAT.



§ 56.

Connexio huius capitis cum praecedentibus.

Cum quae antea dicta sunt quam luculentissime doceant, numerum variantium lectionum in textu Hebraeo, quamquam nimium a quibusdam exaggeretur, haud esse exiguum, textumque haud ita purum esse, quin aliquando quadam opus habeat emendatione, quae primam auctorum scripturam, variis de caussis, Capite praecedente enumeratis, hic illic deperditam, vel certo vel saltem probabiliter restituat; ante omnia inquirendum est, utrum sint adminicula quaedam, quibus adhibitis, feliciter in emendando textu Hebraïco versare possimus, et, si illa sint, quomodo iis convenienter huic consilio utendum sit. Huic itaque magni in critica sacra momenti materiae pertractandae hoc caput impendemus.

§ 57.

Adminicula critica ſummatim enumerantur.

Ut rite enumerentur haec adminicula, qualia plura adesſe grato erga divinam providentiam animo agnoſcimus, omnino distinguendum est tempus quod recenſionem Maſorethicam antecedit et illud, quod eam conſequitur: quippe recenſione Maſorethica ita conſtitutum esſe textum Hebraeum, ut haud raro vera lectio ipſorum auctorum ſacrorum prorſus perierit, omniaque, quae ab eo tempore ad manus ſunt, adminicula critica, proxime tantum illi recenſioni vitiis purgandae inſerviant, e dictis § 29, coll. § 3, quam clarisſime liquet. Tandem et hoc obſervandum est, non quidem frequenter, ſed tamen aliquando dari caſus ubi commemorata adminicula nullum praeſtent ſubſidium, ubi adeoque res ad ſolam ex ingenio depromptam coniecturam redeat.

Distinctim ergo tres hae adminiculorum ſpecies a nobis conſiderabuntur.

§ 58.

I. *Prima adminiculorum criticorum ſpecies, pertinens ad reſtituendum textum, qualis fuit ante recenſionem Maſorethicam, ſummatim exhibetur.*

I. Ut in disſenſu lectionis, quae textum Hebraeum ante Maſorethicam recenſionem occupavit, illam vel certo vel probabiliter lectionem reperire posſimus, quae a prima manu profecta ſit, imprimis ſubſidium nobis ſubminiſtrant.

1) Pentateuchus Hebraeo ſamaritanus,

2) collatio locorum parallelorum,

3) Scripta Iosephi et Patrum quorundam Ecclesiasticorum,

4) Versiones quaedam antiquiores, ex ipso fonte Hebraeo confectae,

5) Talmud,

6) Masora. Videamus de his adminiculis sigillatim.

§ 59.

A. *Exponitur usus criticus Pentateuchi Hebraeo Samaritani.*

A. Ad textum antiquissimum Pentateuchi, si quando affectus sit restituendum, et ad eius in ceteris integritatem defendendam imprimis utilis est Pentateuchus Hebraeo Samaritanus, cuius historia exposita est § 34, quem vero usum praestet in emendando textu Hebraeo, si accuratius definire velimus, omnino in antecessum cavendum est, ne in iudicio de eius valore critico a vero aberremus ad duos extremos errores cum *Morini*, *Kennicotti*, aliorumque, qui fere semper lectiones textus Samaritani lectionibus textus Hebraïci anteferunt, tum *Buxtorfii* aliorumque immoderatiorum textus Masorethici patronorum, qui Samaritanum textum tamquam impurum fontem, reiiciunt, indeque semper praeferunt lectionem textus Hebraïci. Subscribimus itaque sententiae cl. *N. G. Schroederi*, hoc de Pentateucho Samaritano iudicium ferentis: „Largior equidem lubens, eum „Iudaïco Codice, quo omnes utimur, minus esse „emendatum, assumentis, quae alienam prodant ma„num, interpolatum, et forte nonnullis in locis „correctorum audacia depravatum. Verum tamen

 „adeo

„adeo venerandae antiquitatis ille est, ut origine „ſua ipſius Ezrae aetatem antecedat, et hoc prae- „ſertim nomine in pretio habendus, quod certi ſi- „mus, eum ad arbitrarias, et ſaepe ſuperſtitioſas Ma- „ſoretharum leges non esſe accommodatam. Quare „ubicunque ille Iudaïco cum Codice conſpirat, quod „facit plerumque, lectionis veritatem luculento tes- „timonio confirmat; ubi autem discrepat, eo dili- „gentiore dignus est examine, quod admodum pro- „babiles interdum exhibeat lectionum varietates, „quae antiquisſimae verſionis Graecae tam perfecta „conſenſione comprobentur, ut fuerint, qui puta- „rent, hanc ex illo fonte fuisſe derivatam (*a*).

Hoc in antecesſum obſervato, in uſu critico Pentateuchi Samaritani animadvertenda ſunt ſequentia.

1) Cum Samaritani literas gutturales omnes אהחע pari ratione pronunciare ſoleant, fere ut א, hinc ſaepe factum est, ut ſcribae Samaritani illas inter ſe permutarunt, uti e. c. *Gen.* III, 8, 10 pro יתחבא est יתחבה, *Cap.* XXVI, 26 pro מרעהו est מראהו et ſic in quam plurimis aliis locis; unde conſequitur in talibus locis vitium esſe textus Samaritani, non vero lectionis varietatem (*b*).

2) In textu Samaritano matres lectionis ו et י non ſemper eo loco reperiuntur, ubi exſtant in textu Hebraeo, et ubi, ad figendam vocum ſignificationem necesſario poſtulantur, quemadmodum et contra aliquando ibi reperiuntur, ubi linguae Hebraeae indoles eas non admitteret. Sic *Gen.* I, 26, ubi vocis ſignificatio poſtulat כדמותנו, textus Sam. habet כדמתנו et contra *Gen.* XI, 3 חימר ponitur pro חומר (*c*).

3) Sunt et pauca in textu Samaritano, quae accommodate ad praeconceptam aliquam opinionem, aliter ſe habent, ac in textu Hebraeo, quo imprimis

mis pertinet differentia textus Samaritani ab Hebraeo in numero annorum vitae patriarcharum, quem haud parum ſtudioſe diminuit, et in eo quod *Deut.* XXVII, 4 pro monte *Ebal*, reponit nomen *Gerizim*. Plura tamen exempla nobis ſe non obtulere (*d*).

4) Aliqua etiam in textu Samaritano e coniectura mutata esſe videntur, quae itaque aeque minus ac ea, quae ſtudio mutata ſunt (n. 3.) variantium lectionum numero accenſenda ſunt. Sic *Gen.* II, 2 השביעי coniectura haud felici, mutatum videtur in הששי. *Gen.* XXXI, 53 ישפטו mutatum est in ישפט quia minus conveniens videbatur, Labanis inſtar idololatrae loquentis, mentio, et ſic alibi ſaepius (*e*).

5) Varia quoque habet Pentateuchus Samaritanus asſumenta, quae ex aliis locis deſumta ſunt, adeoque verae ſunt textus ſacri interpolationes, *Exod.* VI, 9. VII, 18. VIII, 4, et alibi (*f*).

6) Sunt et quaedam in Pentateucho Samaritano, a dialecto Hebraïca aliena, a ſcribis profecta, alia dialecto tamquam vernacula utentibus, coll. § 47. Sic *Gen.* XVI, 16 ית legitur pro את. Sic etiam affixum ſecundae perſonae ſingulare masculinum ante ך ſaepe habet א, uti femininum ſaepe ante ſe habet י (*g*).

Omnia haec ſuadent ſummam prudentiam in colligendis variantibus lectionibus e textu Samaritano et in emendando inde textu Hebraeo, et hoc quidem eo magis cum huc usque tantum XI Codices Msſ. iidemque iuniores textus Samaritani collati fuerint, adeoque et ipſa eius lectio in variis locis adhuc dubia ſit et incerta (*h*).

(*a*) Sumta ſunt haec verba ex oratione cl. *Schroederi*, inſerta a cl. *Scheidio*, *opusculis de ratione ſtudii*, *Tom.* III, *pag.* 446.

(*b*) Conf. *Michaëlis*, *Or. Bibl.*, *Tom.* XXI, *pag.* 178 ſqq. *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 422. *Iahn*, *l. c.*, *pag.* 416.

(*c*)

(*c*) Vid. *Michaëlis*, *l. c. pag.* 183 feqq. *Iahn*, *l. c. pag.* 416.

(*d*) Conf. *Bauer*, *l. c. pag.* 422, 423, et *Iahn*, *l. c. pag.* 407.

(*e*) Conf. praefertim *Michaëlis*, *l. c. Tom.* XXI, *pag.* 189 feqq. *Tom.* XXII, *pag.* 185 feqq. et *Einleit. in das A. T. pag.* 331.

(*f*) Vid. omnino *Kennicott*, *Disfert.* I, *fuper ratione textus Hebr. pag.* 380—394, et *Disfert. gen. pag.* 47 feqq., qui tamen male illa asfumenta habet tamquam genuina, et *Michaëlis*, *Bibl. Or. Tom.* XXI, *pag.* 177—193. *Tom.* XXII, *pag.* 185—203, et *Einleit. in das A. T. pag.* 322 feqq.

(*g*) Plura exempla dat. *Michaëlis*, *Bibl. Or. Tom.* XXII, *pag.* 191, 192.

(*h*) Lectu digna funt, quae hanc ad rem notavit *Michaëlis*, *Einleit. in das A. T. pag.* 310 feqq.

§ 49.

B. *Docetur, quem ufum praeftet collatio locorum parallelorum.*

B. Varia exftant in Codice facro V. F. loca parallela id est, talia quorum unus ex altero fumtus est, fine fint genealogiae, five narrationes hiftoricae, five leges, carmina, vaticinia, fententiae et proverbia (*a*).

Ut autem prudentes verfemur in emendando e locis parallelis textu facro ante omnia obfervandum est, locorum parallelorum numero non femper adcenfenda esfe quae tales primo adfpectu videntur: praeterquam enim quod nimia fimilitudo aliquando vitium est, in textum illatum a librariis, loca parallela prorfus fimilia fibi reddere conantibus; uti dictum est § 49, varia esfe posfunt, in quibus diverfi fcriptores, licet unus fua ex altero haureat, re, quam pertractent, falva, disfentiant, fic e. c. diverfa vocum

cum quarundam fcribendarum uti posfunt ratione, voces quasdam, quae falva linguae ratione omitti addi, transponi, cum aliis permutari queunt, pro lubitu omittere, addere, transponere, cum aliis permutare posfunt. Fieri fic quoque potèst, ut, maxime in argumento hiftorico, diverfo utantur narrandi modo, ut e. c. differant ordine, ac maiore minoreve narrandi brevitate vel amplitudine, ut in nominibus propriis hominum, quae multi inter Hebraeos duo gerebant, unus hoc alter alio nomine utatur et quae funt fimilia, in quibus itaque bonus Criticus nullam quaeret lectionis varietatem.

Simili prudentia opus est in iis locis parallelis, quae continent fcripta ab auctoribus bis edita, qualia funt *Pf.* XIV et LIII. *Pf.* XVIII et 2 *Sam.* XXII. *Pf.* XL, 14 etc. et *Pf.* LXX. *Pf.* CV, et 1 *Chron.* XVI etc , quippe in quibus aliquando ipfi auctores aliqua vel e fua mente emendarunt, vel ad alias occafiones accommodarunt (*b*).

Nec denique opus esfe, ut omnia conveniant fi in loco quodam tantummodo ad alium refpicitur, ipfa res ac ratio docet.

Haec fi obfervemus, vix opus est ut regulas de conferendis et ex fe mutuo emendandis locis parallelis tradamus, fanum enim critici iudicium femper fatis clare docebit, quaenam duarum lectionum vera fit, quae minus (*c*).

(*a*) Omnium locorum Veteris Foederis parallelorum, in certos clasfes digeftorum catalogum exhibent *Eichhorn*, *l. c.* § 139[b]. et *Bauerus*, *l. c.* § 37, *pag.* 236 feqq.

(*b*) Talia exempla varia in locis parallelis attentus ac peritus lector offendet. Sic *Pf.* XVIII, 5. pro חבלי מות *funes mortis* 2 *Sam.* XXII, 5 est משברי מות *fluctus mortis*, quae mutatio est ab ipfo auctore. Similis ratio est lectionis חשכת מים *obfcuritas aquarum*, *Pf.* XVIII, 12 et

מים

חשרת מים *confpiſſatio aquarum*, 2 *Sam.* XXII, 12. ſimiliter ab ipſo auctore est, quod verba *vs.* 23 וחקותיו לא אסור ממנה in l. p. pſalmorum *vs.* 23 leguntur וחקותיו לא אסיר מני, et ſic in aliis, quamquam ſaepe, quidnam a prima manu, quid ex emendatione auctoris ſit, a nobis, tam ſubtilem non habentibus linguae eiusque elegantiarum notitiam, ac fuit in ipſis auctoribus, ſaepe parum liqueat uti vel ex ipſis his exemplis apparet.

(*c*) Conf. omnino ad hoc argumentum *Cappellus l. c.* L. 1. C. III—XIV, et *Bauer*, *l. c.* § 37 et 132.

§ 61.

C. *Inquiritur, quid ſcripta Ioſephi, et Patrum quorundam Eccleſiasticorum ad emendandum textum Hebraeum conferre posſint.*

C. Tertio loco in numero adminiculorum criticorum haud negligenda ſunt ſcripta Ioſephi et quorundam Patrum Eccleſiasticorum.

א. Ioſephus quidem an uſus fuerit in contexenda archaeologia ſua textu Hebraïco, num vero verſione Graeca Alexandrina, disſentiunt eruditi. Immo multi hoc tempore illum ſua e verſione Graeca, non vero e textu Hebraïco, niſi forte perpaucis in locis, deſumſisſe existimant (*a*).

Nobis vero contra probabile videtur, Ioſephum, ut plurimum uſum fuisſe ipſo textu Hebraïco, quamquam et aliquando, verſionem Graecam ab eo conſultam fuisſe, non est quod negemus: etenim

Primo nihil iam in ſe probabilius videtur, cum Ioſephus omnino Hebraïce doctus fuerit, non tantum enim hoc iam docere poterit conditio eius, ac ſolum natale Palaeſtinae quippe ubi in vivo adhuc uſu erat lingua Hebraea, licet multis modis depravata, et ubi legebantur ſola Codicis ſacri exemplaria Hebraica,

ve-

verum et ex ipſo quod de ſe edidit teſtimonio, luculenter conſtat; ipſe enim diſerte declarat *Ant. Iud.* XX, 11, 2, ſe patriarum literarum ſcientia popularibus ſuis multum antecellere: immo et hoc ex univerſo eius ſtilo clare apparet; non potuisſet enim, ſi vel Alexandrina verſione uſus fuisſet, illius Hebraïsmos tam bene in dictionem pure Graecam convertere, niſi Hebraïcae dictionis indolem probe cognitam habuisſet. Iam hinc igitur probabile fit, hominem Iudaïcum, Hebraïce tam doctum, qui adeoque opus non habuerit, neglecto fonte, e rivulis haurire, praeterito textu originali, verſione uſum fuisſe.

Augetur haec probabilitas inde, quod non eo in honore apud Iudaeos Palaeſtinenſes erat verſio Graeca, ut eam textui Hebraeo praetulisſent, cum alieniores plerumque, quam Alexandrini, esſent, Palaeſtinenſes, ab omnibus quae ad linguam et mores Graecorum pertinerent. Neque enim huic adſertioni obmovendum est, Ioſephum Graeca verſione uſum forte fuisſe ideo, quod Graeca exemplaria, magis quam Hebraïca esſent in manibus Iudaeorum, Ioſephum enim hos libros non Iudaeis ſed Graecis ſcripſisſe, ipſe ſatis manifesto declaret Prooem. *Cap.* II, III, dicens, ſe imitari Eleazarum, qui Regem Ptolemaeum lege Iudaïca impertire voluerit per verſionem eius Graecam: immo ne potuit quidem hos libros ſcribere Iudaeis, utpote, qui res ſacras ſtilo Graeco elegantiori quali Ioſephus utebatur, potius profanari, quam exornari putabant, coll. *Ant. Iud.* XX, 11, 2.

At *ſecundo* non tantum probabile verum et certum putamus, fontem, unde Ioſephus expoſitionem hiſtoriae Iudaeorum ſacrae hauſit, fuisſe Codicem Veteris Foederis Hebraeum, conſulta tantum hic illic verſione Graeca Alexandrina: etenim docet hoc *primo* di-

diserta ipsius Iosephi confessio, dicentis quippe se antiquitatum Iud. opere comprehensurum fore omnem Iudaeorum *ἀρχαιολογίαν, καὶ τὴν διατάξιν τȣ̃ πολιτεύματος, ἐκ τῶν Ἑβραίκων μεθηρμενευμένην γραμμάτων* id est *antiquitatem et reipublicae constitutionem, ex Hebraeis literis translatam.* Iosephum autem verbo *μεθερμενευεσθαι* veram intelligere translationem male quidam negant (*b*); cum pro translationis notione non usus tantum militet linguae, verum et ipsa expositio Iosephi, opus suum mox, uti iam dictum est, comparantis cum opere Eleazari, qui legem in linguam Graecam transtulerit, cui itaque in tantum se similem pronunciavit, quod operis sui materiam ex Hebraïcis Iudaeorum libris repetiit, quippe ceteroquin nullo modo verbo *μεθερμενευσθαι* uti hoc in argumento potuisset.

Accedit et multa esse in Iosephi opere loca, quibus ille sic mentem suam explicat, ut clare appareat, eum non versionem Graecam Alexandrinam, sed textum Hebraicum sequi. Sic, ut e multis pauca seligamus, *Gen.* VIII, 7 secundum textum Hebraeum, quem et sequitur Iosephus, Ant. I, 3, 5, Noachus corvum ex arca emisit, qui continuo ad eum redierit, usque dum terra esset desiccata, cum secundum versionem Graecam non redierit. *Gen.* XIV, 15 in textu Hebraeo est ויחלק עליהם לילה quod versio Graeca habet *καὶ ἐπέπεσεν ἐπ᾽ αὐτȣ̀ς τὴν νυκτὰ*, Iosephus autem cum in textu Hebraico pro לילה legerit ליל ה habet *πέμπτην ἐπιπέσων νυκτὰ. Exod.* XVII, 15 in textu Hebr. legitur יהוה נסי quod Iosephus ante oculos habuit, cum vertit *Θεὸν νικαιὸν*, non vero quod habet versio Graeca *κύριος καταφυγή μȣ*: 1 *Sam.* VII, 12 secundum textum Hebraeum Samuel la-

lapidem, quem erexerat, vocabat אבן העזר *lapidem auxilii*, *huc enim*, *aiebat Iehova* עזרנו *adiuvit nos*, et sic etiam LXX, ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αυτοῦ (λιθοῦ) Ἀβεν-ἔζερ· λίθος τῦ βοηθοῦ, καὶ εἶπεν, ἕως ἐνταῦθα ἐβοή-θησεν ἡμῖν ὁ Κυριος, Iosephus autem Ant. VI, 2, 2, haec ita narrat: καὶ καταπήξας ἐκεῖ λίθον.... ἴσχυ-ρον αὐτὸν προσαγορεύει, συμβολὸν τῆς παρὰ τῦ Θεῦ γενομενῆς αὐτοῖς κατὰ τῶν ἐχθρῶν ἴσχυος: indicio valde probabili eum legisse אבן העז vel אבן עז et dein Iehova עזנו *fuit nostrum* pro עזרנו.

His plura exempla addi possent, nisi brevitati studendum esset (*c*).

Neque in contrarium adferatur, Iosephum quamplurimis locis convenire cum versione Graeca, vel iis in locis quibus haec discedit a textu Hebraico; nam

1. Iosephum aliquando consuluisse textum Graecum, quem, ubi e sua sententia recte interpretabatur, sequeretur, sententiae nostrae non obstat.

2. Iam a multis viris doctis observatum est, textum Iosephi a Christianis variis locis ad exemplum versionis Graecae mutatum fuisse, cuius rei cum alia exstant exempla, tum unum est illustrissimum in chronologia antediluviana, quae iam in Iosephi exemplaribus I, 3, 4, et *contra Apionem*, I, 3, prorsus convenit cum versione Graeca, cum tamen ex VIII, 3, clare appareat, Iosephum secutum fuisse textum Hebraicum (*d*).

Quod si itaque verum est, Iosephum suam historiae sacrae descriptionem ex ipso derivasse textu Hebraico, haud spernendi e collatione eius ad crisin sacram redibunt fructus:

1) Enim aliquando conservavit indicia melioris lectionis. Sic, ut hoc utar, 2 *Sam.* VIII, 17 prava est lectio: *Zadocus*, *filius Achitubi*, *et Achimelech*, *filius Abiathari erant sacerdotes*; cum, uti ex 1 *Sam.*

XXIII, 9 et 23 conſtat, Abiathar Achimelechi, et hic iterum Achitubi fuerit pater. Ioſephus autem cum *Ant. Iud.* VII, 5, 4 narret, a Davide Zadocum una cum Abiathare creatum esſe ſacerdotem, multo rectius verba Hebraica ita transpoſita legisſe videtur: *Zadokus et Abiatharus, filius Achimelechi, filii Achitubi erant ſacerdotes.* Similiter 1 *Sam.* VI, 19 Ioſephus in textu Hebraeo non legit verba ſine dubio ſpuria, et iam in verſione Graeca reperta חמשים איש אלף; dicit enim *Ant.* VI, 1, 4, Deum e Bethſemeſitis interemisſe LXX viros, et ſic alibi ſaepius.

2) Saepisſime Ioſephus hoc ſaltem diverſa, quam ſequitur, lectione indicat, quibus de causſis iam ſuo tempore lectionis varietates ortae fuerint. Sic crebro alios ac in textu Hebr. numeros habet, ideo quod diverſas legit literas, numeros deſignantes. Sic e. c. *Ant.* VI, 9, 1 dicit longitudinem ſtaturae Goliathi fuisſe cubitorum quatuor, quia nempe in textu Hebr. 1 *Sam.* XVII, 4 qui habet *ſex cubitos*, pro ו *ſex* legit ד *quatuor.* Hoc modo aliae variationes, apud Ioſephum repertae, docere posſunt, quaenam imprimis inter ſe literae permutatae fuerint, ne de aliis variantium lectionum fontibus dicamus, quorum exempla ex Ioſepho repeti posſunt haud pauca (*e*).

ב. E Patribus quoque Eccleſiasticis lectionis varietates haud paucae repeti posſunt, e ſcriptis Origenis et Hieronymi (*f*), itidemque e commentariis Ephraïmi Syri, qui licet plerumque uti ſoleat verſione Syriaca, aliquando tamen conſuluit textum Hebraeum (*g*).

(*a*) Ita *Eichhornius*, *l. c.*, § 339*a*, ubi et alii viri eruditi, idem opinantes, adducuntur.

(*b*)

(*b*) Uti *Eichhornius*, *l. c.*, *pag.* 5, qui verbo *μεθερμενεύεσθαι* latiorem tribuit significationem cuiuscunque *explicationis*, sed e solo ingenio suo exsculptam, nullaque fultam linguae Graecae auctoritate.

(*c*) Plura exempla attulit *Michaëlis*, *Bibl. Orient.*, *Tom.* V, *pag.* 328 seqq. et *Tom.* VII, *pag.* 180 seqq. et ipse *Eichhornius*, *l. c.*, *pag.* 7, not.

(*d*) Conf. *Ernesti*, *Opusc. phil. crit.*, *pag.* 372 sqq. et *Michaëlis* in *Comment. de chronologia antediluviana*, *in Syntagm. commentat.*

(*e*) Plura exempla dedit imprimis *Michaëlis*, *Bibl. Or.*, licet inter ea quaedam sunt, minus recte allata.

(*f*) Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 113, et 121—127.

(*g*) Vid. *Eichhorn*, *l. c.*, § 339[a], *pag.* 7, 8, 9.

§ 62.

D. *De usu critico versionum veterum quaedam generatim monentur.*

D. Cum nullos habeamus textus Hebraici Codices Msf. saeculo X aut XI antiquiores, Codicesque, quos habemus, omnes ad Masoram accommodati sint; laudanda omnino est providentia divina, quae nobis reservavit antiquas aliquas versiones, ex ipso fonte Hebraico, eodemque nondum ad recensionem Masorethicam composito, factas, quae non tantum istorum vicem supplent, verum et optimo nostrorum Codicum Msf. longissime praeferendae sunt.

Has autem versiones ut rite crisi sacrae adhibeamus, observanda sunt generatim sequentia.

1. Cum aliae sint veteres versiones *ἀμέσως* ex ipso Hebraico textu confectae, aliae, quae ex antiquiore versione derivatae fuerunt; priorem speciem solam usui nostro inservire posse, ipsa res ac ratio docet; cum altera versionum species tantum

adhiberi posſit diiudicandae lectioni illius verſionis unde illae profectae ſint.

II. In diiudicando valore lectionum, quas haec illave verſio exhibet, probe attendendum est, a quo, et quando verſio talis confecta ſit; qualis fuerit, in quantum hoc e verſione concludi poterit, indoles Codicis Hebraei, unde illa confecta ſit; qualis fuerit ratio verſionis; utrum presſius verba Hebraïca ſequens, an liberius; denique qualem quantamque linguae Hebraeae notitiam quivis interpres habuerit; quippe e quibus omnibus valor ſingularum verſionum antiquarum pendet, ſed quae longe melius uſu et exercitatione, quam praeceptis intelligi poterunt.

III. Quo presſius verſio quaedam antiqua exprimit verba textus Hebraïci, eo certius inde conſtitui potest lectio Codicis Hebraei, unde confecta est; quam ob rem e. c. minor in re critica uſus est interpretis Graeci libri Iobaei; utpote qui erudite quidem, at ſaepe liberrime immo et poëtice convertit textum Hebraeum; quam ceterorum interpretum Graecorum, immo quam ipſius Aquilae, qui ad ineptiam usque verbis textus Hebraici inhaeret.

IV. Priusquam iudicium feratur de disſenſus a textu Hebraico, qui in verſione quadam antiqua reperiatur, ratione et auctoritate, ante omnia inquirendum erit, utrum ipſa ea verſionis illius lectio ſana ſit, an ſuſpecta aut falſa.

V. Quo plures verſiones antiquae in lectione quadam, a textu Hebraico diverſa, conſentiunt, eo maior talis est lectionis auctoritas.

VI. Omnino obſervandum est, nonnunquam fieri ut diiudicari non posſit, utrum interpretes veteres aliquam habuerint, in textu quem expresſerint, lectionis diverſitatem, an minus. Etenim

A. Saepe haud levis est ſuſpicio illos ſenſum magis expresſisſe, quam verba. Sic cum *Ieſ.* VI, 10, lectionem noſtram, רפא לו, *ſanatio ipſi erit*, vertant LXX, *καὶ ἰάσομαι αὐτοὺς*, forte ſolum reſpexerunt ſenſum; ſimiliter cum *Ieſ.* III, 25 LXX pro vocabulo Hebraeo גבורתך habeant *ἰσχύοντες ὑμῶν*, certum inde non est eos legisſe גבוריך, ſed fieri potuit ut גבורה ſumſerint pro גבורים, abſtracto poſito pro concreto. Pari modo cum *Ieſ.* XIII, 8 eadem verſio verbum יאחזון transferat *αὐτοὺς ἕξουσιν*, forte hoc non inde est, quod legerit יאחזום, ſed quod affixum ſubintelligendum esſe putaverit. Parique ratione etiam aliquando circumſcripſerunt ſenſum, uti quando *Hieronymus* verba *Ecclef.* I, 15, quae verbotenus ex Hebraico fonte ſic esſent reddenda: *distortum quis poterit rectificare? et defectus non posſunt numerari*, ſolum reſpiciens ſenſum, quem verba illa ex eius mente habent, liberius convertit: *perverſi difficile corriguntur, et ſtultorum infinitus est numerus.*

B. In particulis vel aliis vocibus minutioribus vel exprimendis vel omittendis ſumma uſi ſunt haud raro libertate, immo vero licentia, quam in librariis iam notavimus.

C. Porro veteres interpretes aliquando vel ſatis certo, vel ſaltem probabiliter, voci cuidam ſignificationem dederunt, nobis iam minus cognitam, at cuius ignoratio *Houbigantio* ſimilibusque linguae Hebraeae eiusque dialectorum rudibus criticis ſuſpicionem movit variantis lectionis. Sic e. c. multi critici *Ieſ.* XXVIII, 16, pro לא יחיש, LXX legisſe putant לא יביש, quia vertunt, *οὐ μὴ καταισχυνθῇ*. attamen ſic etiam vertere potuerunt hodiernam lectionem ſi forte ante oculos habuerint notionem *pudoris*, quo quis aufugiat ab aliis, aliorum conſpe-

 ctum

tum evitans. Hanc enim reservat dialectus Arabica. Similiter ibidem *vs.* 18 וכפר בריתכם mutandum esse in ותפר בריתכם, *rumpetur foedus vestrum*, et sic legisse LXX, vertentes *καὶ ἀφέλῃ ὑμῶν τὴν διαθήκην*, putat *Houbigantius*, non cogitans, verbum כפר, proprie *linere*, *oblinere* habuisse olim notionem *linendo delendi*, et hinc *abolendi*, adeo ut, si spectetur sensus, recte verterint LXX. Idem obtinet aliis in locis quamplurimis. Quapropter saepissime inquirendum est, utrum forte interpretes veteres aliam verborum notionem ante oculos habuerint, ante quam eos aliter legisse definiamus.

VII. Neque etiam improbabile est, et ipsos veteres interpretes aliquando, ubi aliter se expedire non possent, coniectura usos fuisse. Sic v. c. interpres Graecus Alexandrinus *Ies.* X, 15 non intelligens phrasin difficiliorem לא עץ, forte coniectavit legendum esse או עץ *aut lignum*, eamque coniecturam versioni suae intulit, reddens *ῥάβδον ἢ ξύλον*. Similiter interpres Syrus, cum *Ps.* I, 1, *eundi* notio cum *consilio improborum*, *standi* autem cum *via peccatorum* coniungatur, per coniecturam criticam, transpositis verbis הלך et עמד, ita vertit: *beatus ille, qui in via improborum non ambulat, nec in consilio peccatorum stat.*

VIII. Denique et hoc observandum est, fieri potuisse immo et saepius factum esse, ut ipsi interpretes verba quaedam male legerint, adeoque vitio attentionis a vera Hebraïci textus lectione aberraverint, e quo fonte varii in versionibus antiquis exstiterunt errores, iique saepe turpes.

Ad varia quae hac § continentur, conf. *Iahn*, *l. c.*, § 119, et *Bauer*, *l. c.*, § 134.

§ 63.

Exponitur usus criticus versionis Graecae Alexandrinae.

His generatim de usu critico versionum veterum, e fonte Hebraeo profectarum, praemonitis, de singulis versionibus in quantum instituti nostri ratio postulabit, breviter agendum erit.

Omnibus igitur, sive antiquitatis, sive multiplicis in re critica usus rationem habeas, omnibus inquam palmam praeripit versio Graeca Alexandrina, cuius quaenam origo fuerit, quonam tempore sit confecta, dictum est § 23.

Confectam esse ex ipso fonte Hebraeo, nemini, qui vel fugitivo oculo eam inspiciat, esse dubium potest (*a*).

Plures vero fuerunt diversique diversorum librorum interpretes, uti e diversa qua polluerunt linguae sive Graecae, sive Hebraeae, notitia, e diversa orthographia, et e diversa vertendi ratione luculenter apparet (*b*).

Quae vero etiam cunque horum interpretum sit differentia; illud tamen inter se commune habent, quod Graeca utantur lingua, Hebraïsmis refertissima, nec non quod omnes verbis Hebraïcis ita inhaerant, ut plerumque verbum de verbo reddiderint; ita tamen, ut alii aliis pressius verba Hebraea expriment (*c*).

Patriam eorum Aegyptum fuisse, haud pauca docent indicia satis luculenta (*d*). Neque tamen dubium esse potest, quin Hebraeae linguae peritissimi fuerint, si quidem eorum laborem cum textu Hebraeo diligenter conferamus. Quae res imprimis etiam inde apparet, quod, sicut dictum est, quamplurimis vocabulis Hebraeis significationes tribuant, quas, licet iam minus cognitas, veras esse, dialectorum collatio luculenter docet (*e*). I 4

Si autem ſinguli interpretes inter ſe comparentur, eorum valor diverſimode aeſtimandus est. — Omnes linguae Hebraeae et Graecae peritia vincit interpres Pentateuchi. Post quem iisdem nominibus laudari meretur interpres Proverbiorum Salomonis, etiam ibi haud raro ingenium ſuum oſtendens, ubi manifesto a vero aberrat. Iobi interpres Graece quidem peritisſimus est, immo ſaepius ſeſe in legendis Poëtis Graecis hospitem non fuisſe oſtendit; Hebraïcae vero linguae notitiam habuit valde imperfectam. Interpretes Pſalmorum ac librorum poëticorum omnium et Propheticorum omni carent genio Poëtico, ac plerumque verbotenus textum interpretati ſunt. Interpres imprimis Eccleſiastae tam presſe ſequitur verba Hebraea, ut et ipſam accuſativi notam את inepte per Graecum *συν* reddiderit. Quae vero omnia latius exponere, et exemplis firmare, inſtituti nostri ratio non permittit (*f*). Danielis praeſertim verſio tot abundat vitiis, ut Eccleſia Graeca illius loco uſa fuerit verſione Theodotionis (*g*).

Cum vero verſionis huius, utpote a Christianis, immo et ante ſaeculum ſecundum a Iudaeis maximi aeſtimatae, quotidianoque immo et iam ſacro uſu receptae (*h*), multa deſcriberentur exemplaria, fieri non potuit, quin multa in eam irreperent vitia (*i*); qua de causſa *Origenes* editionem tunc vulgatam, quam *κοινὴν* appellabant, denuo cum textu Hebraïco contulit, omnesque ab eo disſentientes lectiones accurate notavit inſigni Hexaplorum opere, de quo dictum est § 26. Opus autem hoc, licet non niſi in fragmentis ſuperſtes ſit, ex eo tamen tempore textus Graecus, prouti ab Origene deſcriptus fuit, cura *Pamphili* et *Euſebii* publicatus fuit; at vero parum medelae ſic allatum est textui huius verſionis, cum Origenes ipſum textum intactum reliquerit, et ex

aliis

aliis verſionibus addiderit quae deficerent praefixo asterico, redundantia denique obelo ÷ notaverit. Praeterea ſaeculo III ac IV *Heſychius*, *Lucianus*, *Baſilius Caeſareenſis* aliique recenſendo textui Graeco eumque ad textum Hebr. emendando manus admoverunt: ſed illarum recenſionum vel fragmenta vel et nomina ſolummodo noſtram aetatem attigerunt (*k*).

E tribus autem editionibus, Hexaplari, a Pamphilo et Euſebio edita, Heſychiana et Lucianea deinde omnia exemplaria tam manu ſcripta, quam typis impresſa orta ſunt, licet quam editionem quivis ſequatur, indicari vix posſit (*l*).

Ceterum editiones verſionis Alexandrinae principes, unde reliquae omnes fluxerunt, ſunt numero quatuor

1) *Complutenſis*, e pluribus Codicibus, ſed quos editores ne verbo quidem nominarunt, adornata, inſerta Bibliis polyglottis Complutenſibus, anno 1515 editis,

2) *Aldina* edita in aedibus *Aldi Manutii*, ab *Andrea Anſulano*, Venetiis 1518, cuius textus itidem e variis Codd. deſcriptus dicitur, at vero ex aliis verſionibus ſaepe interpolatus et ad citationes in N. T. factas compoſitus est,

3) *Vaticana*, ſeu *Romana*, Romae 1587 expresſa ita ut ſaepius multa ſint mutata,

4) *Alexandrina* a *Io. Ern. Grabe*, et eo mortuo a *Francisco Lee*, edita Oxonii, 4 voll. in fol. annis 1707, 1709, 1719 et 1720, in qua expresſus est textus Codicis antiquisſimi Alexandrini, ſed ſaepe multum immutatus. Ex omnibus autem editionibus ad uſum aptisſima est illa, quam, maxime ad fidem Codicis Vaticani adornavit *Lamb. Bos*, Franequerae 1709, 4to (*m*).

Editores autem hi multum adhuc ad emendandum textum reliquerunt. Praedicanda igitur est aevi noſtri

ſtri felicitas, qua plures iam ab aliquo tempore emendando textui verſionis huius manus admoverunt, qua praeſertim *Holmeſius*, Anglus eruditus, textum hunc denuo, adhibitis omnibus, quae immenſo ſumtu ac labore ſibi acquirere potuit, ſubſidiis criticis, eodem modo edere coepit, quo textum Hebraeum edidit *Kennicottus* (*n*).

(*a*) Novam quidem hypotheſin excogitavit anno 1772 *Olav. Gerh. Tychſen*, Philologus iſta aetate Butzovienſis, edito libro, ſaepius iam a nobis citato, *Tentamine de variis Codicum Hebraeorum Vet. Test. Mſſ. generibus.* Illos enim, qui LXX interpretes dici ſolent, a Ptolemaeo arceſſitos, Codicem Hebraeum non in linguam Graecam tranſtuliſſe aiebat, ſed tantum Hebraeum textum literis Graecis deſcripſiſſe; ex quo textu deinde demum confecta ſit verſio, quae iam Alexandrina, ſeu Septuagintaviralis appellatur. Hanc vero ſententiam multi viri eruditi refutarunt, uti *Ernesti*, *Neueste Theol. Bibl.*, *T.* II, *pag.* 357 ſeqq. et *pag.* 451 ſeqq. *Michaëlis*, *Orient. und Exeget. Bibl.*, *Tom.* V, *pag.* 1 ſeqq. *I. F. Hirt*, *Orient. und Exeget. Bibl.*, *Tom.* III, *pag.* 70 ſeqq. *I. A. Dathe*, in praefatione primae editioni verſionis Prophetarum minorum praemiſſa, ſed quae, licet lectu ſit digniſſima, in ſecunda editione non reperitur: et *Haſſenkamp* in libello adverſus Tychſenium conſcripto: *Der entdekte wahre Urſprung der alten Bibelueberſetzungen* (*Minden* 1775), ne alia de hoc argumento ſcripta eriſtica commemoremus, enumerata ab *Eichhornio*, *l. c.*, *pag.* 384, *not. b.* Breviter vero ſed ſimul accurate hanc ſententiam examinavit *Eichhornius*, *l. c.*, § 182. 183, et *Bauer*, *l. c.*, § 45, *pag.* 254 ſeqq.

(*b*) Exempla, hoc luculenter probantia, ſe offerunt cuivis, verſionem Graecam Alexandrinam accurate legenti. Eorum aliqua exhibuit *Iahn*, *l. c.*, § 34, *pag.* 152.

(*c*) Exemplis idoneis hoc probavit *Eichhornius*, *l. c.*, § 165.

(*d*) Probant hoc praeſertim vocabula quaedam Aegyptiaca, quae in verſione hac reperiuntur, uti *οιφι* pro איפה,

Αχι

Αχι pro עָרוֹת, *Ρεμφαν* pro כִּיּוּן etc. Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 165, *pag.* 346, 347.

(*e*) Variis exemplis hoc confirmatum inveniet quicunque ad versionis huius attentam lectionem adferat aliquam linguae Hebraeae et dialectorum eius peritiam. Sic. e. g. nomen פְּדוּת, *Exod.* VIII, 19, plerique male vertunt *liberationem*; interpres Alex. recte vertit *διαςολὴν*, *separationem*, quae verbi פָּדָה notio conservata est in dialecto Arabica. Verbum וַיִּשְׂמְחוּ. 2 *Chron.* XXIV, 10 vertit Graecus interpres: *καὶ ἔδωκαν*, e notione *liberalitatis*, *liberaliter donandi*, quam notionem habet Arabicum سمح, et sic in multis aliis.

(*f*) Conf. de diversis interpretum horum characteribus *Eichhorn*, *l. c.*, § 165, *Bauer*, *l. c.*, § 43, *Iahn*, *l. c.*, § 36.

(*g*) Ita de versione septuagintavirali libri Danielis scribit *Hieronymus*, *Praefat. in Dan.* „Danielem iuxta LXX „interpretes Domini Salvatoris Ecclesiae non legunt, utentes Theodotionis editione. et cur hoc acciderit nescio." Dein quibusdam de rationibus cur hoc acciderit coniecturis interpositis, addit: „hoc unum affirmare possum quod mul„tum a veritate discordet, et recte iudicio repudiatus sit." Hac vero de caussa versio Alexandrina Danielis rarissime descripta est, adeo ut adhuc unus modo eius Codex Msc. cognitus sit, nempe Chisianus, in Bibliotheca Vaticana asservatus, e qua typis edita est haec versio Romae, anno 1772, quae editio deinde repetita est Gottingae, 1774 et cuius textum, eruditis annotationibus locupletatum anno 1775 Traiecti ad Rhenum edit cl. *Car. Segaar.*

(*h*) Vid. *Eichhorn*, *l. c.*, § 166. *Bauer*, *l. c.*, § 46. *Iahn*, *l. c.*, § 37.

(*i*) Varia exempla, quae multis aliis augeri possent, dedit *Eichhorn*, *l. c.*, § 167.

(*k*) Conf. de his recensionibus *Hodius*, *de Bibl. text. Orig.*, *L.* IV, *C.* 2 et 3, et eruditum *Usserii Syntagma de* LXX *interpretum versione.*

(*l*) Hinc multum, sed plerumque absque fundamento, hac de re dissentiunt Critici. Vid. *Bauer*, *l. c.*, § 51, *pag.* 269.

(*m*) Editiones has enumerarunt praeter alios *Eichhorn*, *l. c.*, § 181 et *Bauer*, *l. c.*, § 52.

(*n*)

(n) Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 179, et prae ceteris cl. *Iacobi Amersfoordt*, *Diss. de variis lectionibus Holmesianis locorum quorundam Pentateuchi.* Lugd. Bat. 1815.

§ 64.

De fragmentis superstitibus reliquarum versionum veterum Graecarum agitur.

Praeter *versionem Graecam Alexandrinam* et aliae olim exstiterunt versiones quaedam Graecae, illa iuniores, quarum tantum fragmenta quaedam ad nos pervenere, quae vero et ipsa haud exiguum in critica sacra exhibent auxilium. In his principe loco collocamus fragmenta versionum *Aquilae*, *Theodotionis* et *Symmachi*, *Hexaplis* ab *Origene* insertarum, de quarum auctoribus, origine, et indole iam dictum est § 25. Ex his Aquilae versio eo maiorem habet in variantibus lectionibus diiudicandis utilitatem, quo pressius textui Hebraeo adhaeret (a). Neque huic utilitati quidquam demit accusatio, quam in Aquilam coniecerunt Patres quidam Ecclesiastici, ac si ille, cum Iudaeus fuerit, saepius textum Hebraeum de industria ad convenientiam cum opinionibus Iudaicis mutasset; cum accusatio illa sit iudicum haud idoneorum, utpote Hebraicae linguae imperitorum, exempla autem, quae huius criminationis firmandae caussa adferunt, valde sint inepta, *Hieronymus* denique, qui versionem Aquilae cum textu Hebraeo contulit, nihil in ea invenerit, quo talis criminatio probaretur (b). *Theodotionis*, cum exiguam habuerit linguae Hebraeae notitiam, et plerumque versionem Alexandrinam sequatur, minus in diiudicandis lectionibus textus Hebraici, quam in examine critico textus antiqui versionis Graecae Alexan-

dri-

drinae, est momentum (*c*). Denique *Symmachi* versio, licet perspicua fuerit ac pura, cum tamen, uti testatur Hieronymus, et fragmenta quae supersunt, evidenter comprobant, *non verbum e verbo, ut Aquila, sed sensum ex sensu transtulerit*, ad crisin textus sacri adhibenda est magna cum circumspectione, ne forte liberiorem eius translationem pro indicio diversae in textu Hebraeo lectionis habeamus (*d*).

Praeter has autem Origenes in Hexaplorum opere, etiam tres commemorat alias versiones, ex Oriente deportatas, et ab ignotis ipsi auctoribus, ex Hebraeo fonte confectas, non quidem universi Codicis Hebraei, sed quorundam librorum eius, quas a columna, quam in Hexaplis occupabant, vocabat *quintam*, *sextam* et *septimam*, quarum vero, cum prior maxime interpretes Alexandrinos ac Theodotionem, secunda eosdem et Aquilam ac Symmachum sequi soleat, tertia denique nimia utatur interpretationis libertate, adeo ut saepe paraphrasin potius quam versionem exhibeat, exigua est ad crisin textus Hebraei utilitas (*e*).

Tandem praeter fragmenta haec versionum, Hexaplis Origenianis insertarum, ad marginem etiam multorum Codicum versionis Graecae Alexandrinae aliae quaedam commemorantur versiones veteres Graecae, ex Hebraeo fonte factae, quarum vero usus, cum valor e fragmentis superstitibus satis certo diiudicari nequeat, in re critica est exiguus: vocantur illae, ὁ Ἑβραιος, ὁ Συρος, το Σαμαρειτικον, ὁ Ἑλληνικος, et denique ὁ ἀλλος vel ὁ ἀνεπιγραφος (*f*).

(*a*) Conf. *I. A. Dathe*, *Disputatio philologico-critica in Aquilae reliquias interpretationis*, *Opusc.*, *pag.* 1 seqq.

(*b*) Evidenter praeter alios hoc probavit *Eichhornius*, *l. c.*, § 187.

(*c*) Conf. imprimis *Iahn*, *l. c.*, § 41.

(*d*) Vid. auctores citati ad § 25, *not.* (*c*).

(*e*) Egregie de tribus his verſionibus egit *Eichhornius*, *l. c.*, § 201—204, quem compilavit *Bauerus*, *l. c.*, § 56.

(*f*) Etiam de his verſionibus vid. imprimis *Eichhorn*, *l. c.*, § 205—209, *Bauerus*, *l. c.*, § 57. et *Iahn*, *l. c.*, § 44.

§ 65.

Exponitur uſus criticus paraphraſium Chaldaicarum.

Verſiones Graecas antiquiores, quae principem in ſubſidiis criticis locum obtinent, excipiant paraphraſes Chaldaicae, ab Iudaeis תרגומים, *interpretationes*, appellatae, quarum antiquisſima, Pentateuchum complexa, et ab Onkeloſo confecta, iam commemorata est § 25.

Huic paraphraſi deinde et aliae in omnes libros Veteris Foederis, a diverſis auctoribus, diverſaque aetate conſcriptae, additae ſunt, e quibus autem quae huc usque cognitae ſunt non comprehendunt Ezrae, Nehemiae ac Daniëlis libros, qui forte hic illic in Bibliothecis latent. Ex iis vero, quae typis impresſae exſtant, hae decem numerantur.

1) *Onkeloſi Targum in Pentateuchum*, quod cum presſius textui Hebraeo inhaereat, paucasque contineat fabulas et excurſiones, lingua inſuper ſatis pura ſit conſcriptum, denique haud paucas contineat variantes lectiones, auctoritate veterum verſionum confirmatas, haud parvi in critica ſacra est momenti.

2) *Targum*, adſcriptum *Ionathani* cuidam *Uzielis* filio, *in Prophetas*, cum *priores*, tum *posteriores*, incertae aetatis, lingua compoſitum minus pura, quam Targum Onkeloſi, variis itidem fabellis mixtum. Aliquod eius est in re critica momentum, cum, etſi plerumque cum textu Hebraeo conveniat, quas-

dam tamen, easque aliquando melioris notae, exhibeat lectionis varietates.

3) *Targum in Pentateuchum*, ab Iudaeis eidem *Ionathani* adſcriptum, ſed, quemadmodum nomina in eo obvia Conſtantinopoleos, Longobardiae, Turcorum, et mixtura vocum Latinarum, Graecarum, Perſicarum, clare docent, recentis aetatis, ſaltem ſexto ſaeculo haud antiquius, ſtilo prorſus impuro conſcriptum, fabulis, digresſionibus, futis colloquiis, ſimilibusque ineptiis pluribus plenisſimum, in criſi itaque nullius fere utilitatis.

4) Eadem est indoles *Targumi Hieroſolymitani in Pentateuchum*, varia e variis libris absque iudicio congesta comprehendentis collectanea, recentisſimaeque originis.

5) *Targum* in *Hagiographa*, vulgo ab Iudaeis tributum *Ioſepho* cuidam *coeco*, ſed quemadmodum diverſitas ſtili, dictionis ac methodi docet, diverſorum auctorum opus, exiguaeque propter easdem, quae iam datae ſunt, rationes, utilitatis, excepto Targum in Proverbia Salomonis, utpote quod mire conſentit cum verſione Syriaca, quacum itaque forte haud inutiliter conferri potest.

6) *Targum in quinque Megilloth*, quo nomine ab Iudaeis vocantur libri Eccleſiastae, Cantici canticorum, Threnorum, Ruthae et Estherae, eiusdem iterum ac praecedentia furfuris.

7, 8, 9) *Tria Targumim in librum Estherae*, quorum primum contractius, duo reliqua diffuſiora, ſed omnia ineptiis ſcatentia, vix ullam praeſtant utilitatem.

10) *Targum in libros Chronicorum*, primum e Mſ. Erfurtenſi editum a *Matthia Friderico Beckio*, Augustae Vindelicorum 1680, 4to, deinde accuratius e Msſ. Cantabrigienſi a *Davide Wilkens*, Amſtelae-

da-

dami, 1715, 4to. Verum et hoc Targum, licet eruditis a Beckio notis locupletatum, haud magni tamen est valoris (*a*).

Apparet itaque ex his tantum eorum Targumim aliquam esſe utilitatem, quae primo et ſecundo loco commemorata ſunt.

Caeterum et hoc ad uſum criticum harum paraphraſium obſervare iuvat, eas primum absque punctis conſcriptas; deinde vero a Grammaticis Iudaeis diverſarum aetatum ac temporum punctis inſtructas esſe, unde magna erat in punctatione diverſitas, donec tandem *Buxtorfius* in ſua Bibliorum editione punctationem earum, ad eam conformavit, quae in Chaldaicis Danielis et Ezrae partibus reperiuntur (*b*).

Porro et hoc obſervandum est, postquam vetus dialectus Hebraea apud Iudaeos cum Dialecto Chaldaica permutata fuisſet, atque hinc paraphraſes Chaldaicae non tantum frequentius, quam textus Hebraeus, legerentur, verum et cum textu Hebraeo coniungerentur, ſaepius factum fuisſe, ut vel hae paraphraſes ad textum Hebraeum conformarentur, vel textus Hebraeus ex his paraphraſibus emendaretur; unde orta fuit multis in locis textus Hebraei cum paraphraſibus Chaldaicis convenientia (*c*). Hinc autem efficitur, eas critica opus habere elaboratione, antequam multis ſaltem in locis, emendando textui Hebraeo, adhiberi posſint.

(*a*) Conf. de paraphraſibus his praeter alios *Fabricy*, *l. c.*, *Tom.* I, *pag.* 96—118. *Eichhorn*, *l. c.*, § 213—244, *Bauer*, *l. c.*, § 52—81. Variantium lectionum ſpecimina ex iis collegit *Capellus*, *l. c.*, *Lib.* V, *Cap.* II, in quibus vero eum ſaepius errare in notis ſubiectis docet *Io. Scharfenburgius*.

(*b*) Conf. *Michaëlis*, *Gramm. Chald.* (Gott. 1771.) § 3, qui et *pag.* 103 ſeqq. excerptis e Codice Casſellano claré demonſtravit hanc punctationis diverſitatem.

(*c*)

(*c*) Hoc perſpicue imprimis oſtendit *Eichhorn*, *l. c.*, § 217, 218.

§ 66.

Declaratur uſus criticus verſionis Syriacae, quae Peſchito, *ſeu* ſimplex *appellatur.*

Cum iam ſatis mature Eccleſia Chriſtiana in Syria floruerit, mirum non eſt, plurimas illic olim exſtitiſſe verſiones librorum ſacrorum, non Novi tantum, verum et Veteris foederis, vel e fonte Hebraeo, vel e verſione Alexandrina Graeca confectas (*a*).

Ex iis, quae e fonte Hebraeo derivatae ſunt, prima ad nos pervenit, quae Syriace ܦܫܝܛܐ, id eſt *ſimplex*, *literalis* appellatur, cuius nominis ratio hodie difficulter inveſtigari poteſt.

Illam ſaeculo IV iam eſſe antiquiorem, dictum eſt § 25. Fuiſſe illam ex ipſo textu Hebraeo ductam, non e diſerto tantum teſtimonio *Barhebraei* ſeu *Abulpharagii* (*b*), verum et e collatione ipſius textus Syriaci cum textu Hebraeo luculentiſſime apparet (*c*).

Huic autem aſſertioni non obſtat magna quae variis locis reperitur inter textum Syriacum et textum verſionis Graecae Alexandrinae, etiam illic, ubi ea a textu Hebraeo diſſentit, convenientia,

1) enim convenientia haec longe eſt rarior, quam conſenſus cum textu Hebraeo.

2) Negari nequit multis locis convenientiam hanc inde oriri potuiſſe, quod et Syrus et Graecus interpres quisque eandem in Codicibus ſuis Hebraeis invenerunt lectiones.

3) Varia exſtant argumenta, quibus certum eſt,

versionem Syriacam, testantibus etiam ipsis scriptoribus Syris, multis in locis ad conformitatem cum textu versionis Graecae, utpote cuius magna esset ubique veneratio, immutatam fuisse (*d*).

Differentia porro rationis interpretandi, quae in diversis libris reperitur, quae cuique, hanc versionem accurate legenti, in oculos incurrat necesse est, multos in opinionem adduxit haud improbabilem, versionem hanc a pluribus auctoribus esse profectam (*e*).

In usu autem huius versionis critico ad examinandum textum Hebraeum, observandum omnino praeter hoc, quod textus aliquando, uti modo dictum est, e versione Graeca Alexandrina interpolatus est,

1) eam saepe esse liberiorem (*f*),

2) textum eius cum in aliis libris, tum maxime in Psalmis aliquando haud improbabiliter ad liturgias Ecclesiae Syriacae et Psalteria in cultu publico Syrorum usitata, haud parum immutatum fuisse (*g*).

Licet haud pauci Codices Msf. huius versionis in Bibliothecis Europaeis exstarent, edita tamen demum fuit primo in polyglottis Parisiensibus 1629—1645, deinde correctius in polyglottis Londinensibus. Psalmi saepius editi sunt separatim, imprimis secundum 2 Codd. Msf. ab *Erpenio* Lugd. Bat. 1625, 4to, quam editionem denuo recensuit, variantibus lectionibus polyglottorum Londinensium, notisque philologicis et criticis adiectis *I. A. Dathe*, *Halae* 1768. 8o mai. Pentateuchum Syriacum e polyglottis Londinensibus edidit *Georg. Gulielmus Kirsch*, Hofae et Lipsiae 1787, 4to (*h*).

(*a*) Has versiones plenius aliis enumerat *Eichhorn*, *l. c.*, § 246, easque descripsit § 258—274.

(*b*) Vid. *Assemanni*, *Bibl. Orient.*, *Tom.* II, *pag.* 274 et *Abulfaragii Hist. Dynast*, *pag.* 100.

(*c*)

(c) Evidenter imprimis hoc probavit *Eichhorn*, *l. c.*, § 253 *Semlerum*, infirmis admodum argumentis probare conatum, verſionem hanc ex Hexaplis Origenianis factam esſe, docte refutavit *Dathe*, *Praefat. ad Pſalterium Syr. pag.* X ſeqq. quocum conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 249 et *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 313, 314.

(*d*) Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 254 et brevius, *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 320.

(*e*) Vid. *Eichhorn*, *l. c.*, § 250, *Bauer*, *l. c.*, § 84. Cadit hinc quaestio, quae et ceteroquin vana est, num auctor verſionis fuerit Iudaeus, uti putàbat *Rich. Simonius*, an ex Iudaeo Christianus, quae *Michaëlis* et *Dathii* erat opinio, de qua quaestione vid. *Eichhorn*, *l. c.*

(*f*) Exemplis hoc probavit *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 316.

(*g*) Probavit hoc imprimis *Dathe*, *not. ad Pſalterium Syr. Pſ.* LVI, LXXIII, CIX, et *Praefat.*, *pag.* 27 ſeqq.

(*h*) De editionibus huius verſionis conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 257 et *Bauer*, *l. c.* § 82. De editione Pſalmorum Erpeniana conf. *Dathe*, *Praef. ad Pſalt. Syr.*, *pag.* 33 ſeqq. et de editione in polyglottis Londinenſibus, *Michaëlis*, *Abhand. uber die Syriſche Sprache*, *pag.* 59, 60.

§ 67.

Conſiderantur verſiones antiquiores Arabicae e textu Hebraico factae, imprimis Arabica verſio Pentateuchi Samaritani.

Cum iam diu ante Mohammedem multi in Arabia et Iudaei esſent, et Christiani; immo et Iudaeorum in Arabia ſeculo V florentisſimum esſet regnum; iam hinc probabile est, varias fuisſe etiam Arabicas verſiones, cum e textu Hebraeo, tum et e verſione Graeca Alexandrina, tum forte etiam e Syriacis verſionibus confictas. Deinde vero postquam Mohammedani fere omnem, quae Indicum et Atlanticum mare interiacet, regionem armis ſubegisſent, Ara-

 bi-

bicaeque etiam linguae ufum per omnes illas regiones propagasfent, mirum non est, per amplisfimum regionum istarum intervallum, numerum verfionum Arabicarum haud parum auctam fuisfe. Ex quibus, quae ad manus nostras pervenit, ea facta est cum e textu Hebraico, tum et ex aliis verfionibus, Syriaca, Graeca Alexandrina, Coptica, et vulgata Latina (*a*). Nulla vero alia ad nostram pervenit aetatem praeter unam verfionem Arabicam Pentateuchi Samaritani, fed cuius, adhuc in Manufcriptis latentis, tantum defcriptiones quasdam et fragmenta ediderunt viri eruditi (*b*). Reliquae verfiones Arabicae, omnes, quas nunc habemus, e textu Maforethico ductae funt, de quibus dicetur § 73.

(*a*) Recenfet omnes has verfiones, et defcribit *Eichhorn*, *l. c.*, § 275 feqq.

(*b*) De hac verfione conf. omnino *Eichhorn*, *l. c.*, § 286 – 289, auctoresque ab eo citati.

§ 68.

De verfione Pentateuchi Samaritana quaedam dicuntur.

Est quoque in Polyglottis Parifienfibus et Londinenfibus defcripta verfio in dialectum Samaritanam, quae dialectus est Aramaea inter Chaldaicam et Syriacam intermedia, Pentateuchi Hebraeo-Samaritani, de cuius auctore et aetate quae a multis olim dicta funt, omnia funt incerta, praeter hoc unum, eam antiquiorem esfe faeculo VIII, quo tempore invafio Saracenorum vivum dialecti Samaritanae ufum, introducto ufu linguae Arabicae, fere univerfum delevit.

Se-

Sequitur haec versio exacte fere ad verbum textum Hebraeo-Samaritanum, eo tantum excepto quod, more Samaritanorum, immo et Iudaeorum, nomina יהוה et אלהים notione *angeli Dei* exprimit. Ceterum, licet plerumque cum Pentateucho Hebraeo-Samaritano conveniat, aliquando tamen ab eo, aeque ac a textu Hebraeo, diversas habet lectiones. Variae quoque in hanc versionem irrepserunt interpolationes; immo et aliquando duas interpretationes simul in textu habet, claro indicio, earum unam e margine in textum illatam fuisse. Tandemque et hoc observandum est, eam saepe cum paraphrasi Chaldaica Onkelosi convenire, indicio, auctorem ea usum fuisse.

Conf. de hac versione *Eichhorn*, *l c.*, § 303, 304, 305. *Bauer*, *l. c.*, § 95. *Iahn*, *l. c.*, § 45.

§ 69.

Versio Latina Hieronymi, eaque, quae hodie vulgata *appellatur.*

Latinae linguae usus cum per universum fere occidentem increbuisset, nemo mirabitur, iam satis mature varias factas fuisse Codicis sacri versiones Latinas, easque, cum a Christianis conficerentur, Hebraicam linguam ignorantibus, e versione Graeca Alexandrina derivatas.

Probabilem hanc coniecturam auctoritate sua tamquam veram confirmat Augustinus, clare indicans ingentem sua aetate fuisse versionum Latinarum numerum (*a*). Ex iis vero versionibus una erat, confecta ad editionem *κοινὴν* versionis Graecae Alexandrinae (§ 63), eaque de caussa appellari solita *vul-*

gata, vel et *vetus*, quae publici in universa Ecclesia Occidentali usus auctoritatem habebat (*b*).

Versio haec, cuius confectae aetas seculo secundo haud antiquior esse videtur (*c*), et quae ubi confecta sit itidem ignoratur (*d*), ad verbum sequebatur versionem Alexandrinam (*e*). Hodie vero illa tantummodo integra reservata est in libris *Iobi*, *Psalmorum* et quorundam Apocryphorum, ceterorum vero librorum sola quaedam exstant fragmenta in scriptis Patrum Ecclesiasticorum dispersa, et a variis viris eruditis collecta (*f*).

Cum contextus versionis illius Latinae crebra descriptione multorumque descriptorum correctionibus et interpolationibus miserum in modum corrumperetur (*g*), *Hieronymus* primum, a *Damaso*, Episcopo Romano, rogatus, circa annum 383 Psalterium, cuius in cultu sacro maximus esset usus, ad versionem Graecam correxit, sed non nisi, uti ipse dicit *cursim*, et *magna ex parte*, haud etiam additis correctionis suae signis: quod Psalterium, cum in Ecclesia Romana publico usu reciperetur, *Psalterium Romanum* dictum est. — Postea cum et huius Psalterii editionis textus interpolatione e veteribus corruptus exemplaribus nova vitia contraxisset, denuo Psalterium, maiore quam antea ei cura adhibita, additisque correctionum signis, obelis et asteriscis, et consulto etiam aliquando textu Hebraico, edidit. quae editio, cum in Ecclesias Gallicas ad usum sacrum reciperetur, *Psalterii Gallici* nomine insignita est.

Tandem vero anno 390 vel 391 totum textum Latinum ad fidem versionis Graecae correxit, additis etiam correctionis signis. Huius autem editionis tantum sex libri sacri ab Hieronymo editi fuerunt, *Psalmi*, *Iobus*, *Proverbia Salomonaea*, *Ecclesiastes*, *Can-*

Canticum canticorum, et *Paralipomena*, cum pleraque alia illius laboris, uti ipfe dicit, *fraude cuiusdam amifisfet*. Ex his vero etiam fex libris huius editionis, quae magnam mox in Ecclefia nacta est auctoritatem, tres tantum libri fuperftites, ad nostram aetatem pervenerunt, *Iobus*, et utrumque *Pfalterium*, cum *Romanum*, tum *Gallicanum*; reliqui forte adhuc in Bibliothecis latent (*h*).

Neque hic fubftiterunt labores critici Hieronymi, in quibus, fi plures nobis eorum fuperesfent reliquiae, egregium haberemus emendandae verfionis Graecae Alexandrinae fubfidium. Verum etiam, eo praecipue confilio, ut Iudaeis, criminantibus, verfionem Graecam Alexandrinam, qua fola in disputationibus cum Iudaeis utebantur Christiani, haud raro a textu Hebraeo disfentire, os obftrueret, per varia temporum intervalla novam confecit librorum V. F. ex ipfo fonte Hebraeo verfionem, ita tamen, ut, ne nimia novitate offenderet, ad verfionem LXX interpretum, Aquilae, Symmachi, et Theodotionis, ubi illi textum Hebraeum e fua opinione bene expresfisfent, fuam verfionem quodammodo accommodaret (*i*).

Quamquam vero multos annos in conficienda hac verfione occupatus fuisfet Hieronymus, ac revera optime hoc labore de Codice facro meritus esfet, multis tamen opus hoc displicuit, in quo conatum videre fibi viderentur nimium deprimendae verfionis Graecae Alexandrinae, cuius, uti fupra dictum est, fumma esfet in univerfa Ecclefia auctoritas (*k*).

Aliis vero etiam valde placuit verfio haec, adeo ut fenfim multae eam reciperent Ecclefiae, tandemque tantam in univerfa Ecclefia Latina nacta fit auctoritatem ut vetus vulgata penitus fere fubmoveretur (*l*).

 Quo

Quo communior autem huius verſionis uſus fieret, eo pluribus corruptionibus fuit infecta. Vel enim, inſcite hanc e veteri vulgata corrigebant, vel locis, ubi eadem res narratur, e. c. libris Regum et Paralipomenis, ſibi invicem ad verba etiam et minutias ſimilibus reddendis male ſedulam operam collocabant, vel textum ex aliis ſcriptoribus, e. c. ex Ioſepho, refingebant, vel et loca aliqua libris liturgicis accommodabant, vel denique alia vitia textui inferebant (*m*).

Haec itaque verſionis huius corruptio *Carolum Magnum* permovit, ut eius contextum corrigendum demandaret *Alcuino*, viro ea aetate eruditisſimo. Postea *Lanfrancus*, Archiepiscopus Cantabrigienſis, ſaeculo XI, et *Nicolaus*, *S.* Damaſi Diaconus Cardinalis, ſaeculo XII eidem operi vacavit. Eodem fere tempore Theologi Pariſienſes ac Dominicani, nec non *Hugo a S. Caro* editis *correctoriis Biblicis* textum emendare conati ſunt: quibus omnibus forte et alia huiusmodi conamina, quorum periit memoria, accesſerunt (*n*); ſed quae omnia, cum auctores a veri critices ſcientia esſent imparatiores, parum utilitatis attulerunt; immo forte aliquando textum magis depravarunt, quam emendarunt.

Inventa deinde arte typographica, multi quoque ſaeculo XV et XVI verſionis huius textui corrigendo manus admoverunt, tam editionibus criticis, quam libris, ad criſin verſionis huius facientibus publicatis (*o*).

Tandem haec verſio Hieronymiana, cuius iam a multis ſaeculis ſumma fuisſet in Eccleſia Latina auctoritas, concilio Tridentino declarata est *ſola authentica*, id est, quae publice in Eccleſia Romana adhibenda esſet (*p*). Huic vero uſui quo melius inſerviret, concilium mox Patres quosdam depu-

putavit, qui curarent, ut verſio illa emendate ederetur; ſed cum opus istud a *Paullo* III, P. R. tamquam ad ſe pertinens, impediretur, Pius IV viris quibusdam doctis provinciam demandavit editionem verſionis vulgatae castigandi et emendatisſime edendi, idemque inſtitutum, eo mortuo, proſecutus est *Pius* V. Parum vero opere hoc effectum est, donec Sixtus V anno 1589 delectis a ſe viris eruditis mandaret ut novam, eamque e Codicibus Mſs. immo et, ſi Codices ac doctorum conſenſio auxilium negarent, ex ipſo textu Hebr. emendatam huius verſionis procurarent editionem, ita quidem ut et ipſe manum operi huic adhiberet, eligens id quod e pluribus optimum cenſeret, ſuaque manu corrigens, ſi qua praelo vitia obrepſisſent (*q*). Quod Sixti opus mox tanta imperfectione laborare videbatur *Gregorio* XIV, ut eodem anno novam confici curaret editionem, in qua plus quam 2000 loci ad fidem Codicum Mſſ., citationum a Patribus factarum, itidemque textus Hebraei corrigebantur, quae vero editio publicata, et, abrogata editione Sixtina, tamquam ſola authentica declarata fuit a Clemente VIII, anno 1592. Atque haec ista est editio *vulgatae verſionis Latinae*, qua uti ſolent Pontificii quae vero non univerſa est Hieronymi verſio, utpote quae Codicum defectu et corruptione reſtitui non potuit, ſed e tribus verſionibus conflata est: nam

I. E verſione veteri vulgata ante Hieronymum redditi ſunt libri Baruchi, Sapientiae Salomonis, Ieſu Sirachidos, librorumque Maccabaeorum.

II. Pſalmos non e textu Hebraeo, ſed e verſione Graeca Alexandrina fuisſe converſos, cuivis eos inſpicienti patebit; unde multi eos continere putant

partem verſionis, quam Hieronymus ex Hexaplis confecit, et quidem *Pſalterium Gallicanum*.

III. Reliqui libri exhibent verſionem Hieronymi, ex Hebraico fonte factam, ſed multis modis immutatam et interpolatam, adeo ut ſaepe quid ab Hieronymi manu, quid recentioris ſit originis, diiudicari non posſit (*r*). Haec itaque ſola clasſis verſionis vulgatae Latinae alicuius in criſi textus Hebraïci uſus est; licet prudenter in uſu isto verſari oporteat, propter depravationem, quam et auxerunt Papae Sixtus V ac Clemens VIII, ſaepius ad textum Hebraeum verſionem hanc conformantes, qua ratione haud raro convenientia cum textu Hebraeo e ſolo arbitrio criſeos Pontificiae repetenda est (*s*). Profecto adhuc tanta est verſionis illius, tanta ipſorum Codicum Msſ. depravatio, ut Augiae referat ſtabulum, quod vix Hercules aliquis Criticus purgare queat. Eximium vero uſum ad reſtituendum ſaltem in quibusdam locis Hieronymi ipſius textum praeſtabit *S. Hieronymi divina Bibliotheca*, edita a *Martianaeo*, Pariſiis 1693, ac praefixa etiam editioni operum Hieronymi, a Benedictinis S. Mauri procurata (*t*).

(*a*) Ita dicit *Doctr. Christ.*, *Lib.* II, *Cap.* II. „Qui „ſcripturam ex Hebraea lingua in Graecam verterunt, nu„merari posſunt, Latini vero nullo modo. Ut enim cuiquam „primis fidei temporibus in manus venit Codex Graecus, „et aliquantulum facultatis ſibi utriusque linguae habere vi„debatur, auſus est interpretari.“

(*b*) Conf. praeter alios *Eichhorn*, *l. c.*, § 320. Sunt et qui hanc verſionem appellatam quoque fuisſe putant *Italam*, argumentum ducentes ex loco *Augustini*, *de Doctr. Christ.*, II, 15. „In ipſis autem interpretationibus Itala „ceteris praeferatur; nam est verborum tenacior cum per„ſpicuitate ſententiae.“ At cum nuſpiam alibi verſionis

Ita-

Italae mentio fiat, plures viri docti vocem hanc corruptam esse putant, eamque variis modis emendant, uti apud *Eichhornium*, *l. c.*, *not.* y videri potest. Nobis vero ratio ista non tanti videtur, ut auctoritati omnium Codicum Augustini, huc usque collatorum, qui omnes *Itala* habent, opponi possit.

(*c*) Comprobat hoc imprimis *Eichhorn*, *l. c.*, § 322.

(*d*) *Eichhornius*, *l. c.*, § 323 cum aliis ex argumentis; tum et e Latinitate huius versionis minus pura suspicatur, eam in Africa confectam esse. Nobis quidem nihil certi hac de re constat: saltem argumentum e Latinitate parum nobis probare videtur, cum interpres forte data opera in id incubuerit, ut verbotenus redderet, versionem Graecam Alexandrinam. Conf. nota sequens.

(*e*) Hoc, quod vel levissimum examen quemvis docebit, argumentis quibusdam probavit *Eichhorn*, *l. c.*, § 324, 325.

(*f*) Hos praeter alios enumerat *Eichhorn*, *l. c.*, § 326. In iis autem eminet opus *Sabatierii: Bibliorum sacrorum Latinae versiones antiquae, seu vetus Italica, et ceterae, quaecunque in Codicibus Msf. et antiquorum libris reperiri potuerunt, quae cum vulgata Latina et cum textu Graeco comparantur.* Rhemis, 1743, quamquam et hoc opus multis defectibus laborare, aliorum qui diligentia emendandi fiat, doceat *Eichhorn*, *l. c.*, *pag.* 713.

(*g*) Hoc mirum non erat, cum et Codices versionis Graecae, unde haec versio conficiebatur, multis vitiis laborarent, quae vitia non tantum in versionem Latinam transferebantur, verum et inde augebantur, quod multi, prouti exemplar Graecum haberent, ad illud identidem textum Latinum corrigerent.

(*h*) Conf. huc *Eichhorn*, *l. c.*, § 328—331.

(*i*) Conf. Hieronymi *Opp. Vol.* I, *Col.* 835. *Vol.* II, *Col.* 563 et *Praefat. in Ecclesiasten*, *et Proverb.*

(*k*) Displicuit Hieronymi versio ipsi *Augustino*, maxime vero *Rufino*, Presbytero Aquileiensi, cuius vero reprehensionibus respondit *Hieronymus.*

(*l*) Conf. testimonia, quae collegit *Hodius*, *de textibus Bibl. Orig.*, *L.* III, *P.* II, *C.* IV, et *Martianay*, *Prol. opp. Hieron. Tom.* I, § 3, 4.

(*m*)

(*m*) Conf. loca, quae adtulit *Eichhorn*, *l. c.*, § 335, quibus add. *Rogerius Baco* apud *Hodium*, *l. c.*, *pag.* 421. „Textus est pro maiori parte corruptus horribiliter in exem- „plari vulgato, et ubi non habet corruptionem, habet ta- „men dubitationem....... Et haec dubitatio nafcitur ex „contentione correctorum, quia quot funt lectores per „mundum, tot funt correctores, feu magis corruptores, „quia quilibet praefumit mutare quod ignorat, quod non „licet facere in libris Poëtarum: nam antiqua vocabula et „fermones figurati non mutantur, cum leguntur Poëtae, non „libri aliarum facultatum: fed hic quilibet lector mutat fe- „cundum caput fuum."

(*n*) Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 336. auctoresque ibi citati.

(*o*) Recenfet varias has editiones hosque libros imprimis *Rofenmüller*, *Handbuch fur die Literatur der Biblifchen Kritik und Exegefe*, *Tom.* III, *pag.* 199—276.

(*p*) Recte et liberaliter hoc decretum explicavit ipfe facris Pontificiis addictus *Iahnius*, *l. c.*, § 65. Historiam huius decreti accurate enarravit *Hodius*, *l. c.*, *Lib.* III, *Part.* II, *Cap.* XIV, *pag.* 488 feqq.

(*q*) Conf. praefatio, huic editioni a Sixto V praemisfa, quam exhibet *Hodius*, *l. c.*, *pag.* 495 feqq.

(*r*) Conf. imprimis *Iahn*, *l. c.*, § 66, 67.

(*s*) Hoc imprimis probavit *Kennicott*, *Disf.* II *fuper ratione textus Hebr.*, *pag.* 187 feqq.

(*t*) Multas varias lectiones e vulgata Hieronymi verfione collegit *Capellus*, *l. c.*, *L.* V, *C.* VIII—XI.

Ceterum de verfionum Latinarum historia conf. etiam *Kennicottus*, *l. c.*, *pag.* 417 feqq. et *Capellus*, *l. c.*, *Cap.* VII.

§ 70.

E. *Quisnam fit ufus criticus Talmudis, disquiritur.*

E. Quintum adminiculum, pertinens ad reftituendum textum, qualis fuit ante recenfionem Maforethicam, fecundum § 58 est *Talmud*. Talmud nempe

pe, ſeu corpus traditionum ad res Iudaeorum ſacras ac civiles pertinentium, duabus conſtat partibus, *Mischna* et *Gemara*, quarum prior a Rabbi *Iuda ſancto* ſaeculo II vel III aerae Christianae, collecta est, altera autem, *Gemara*, q. d. *perfectionem*, Mischnae continens prioris explicationem ac ſupplementa, itidemque doctorum ſuper ea disputationes, iterum dividitur in *Hieroſolymitanam*, et *Babylonicam*, quae utraque pars, ſaeculo VI, adeoque et Maſorethica recenſione, antiquior est.

Inveniri aliquas in hoc religionis Iudaicae recentioris corpore variantes textus Hebraïci lectiones, cum Doctores quidam Iudaei, tum et Christiani, adductis etiam luculentis exemplis, certisſime comprobarunt (*a*).

Quae autem huc usque e Talmude collectae ſunt lectionis varietates ſunt perpaucae, cuius rei ratio est, quod deſcriptores Talmudis, post recenſionem Maſorethicam, et editores, textum locorum, e Codice Hebraeo citatorum, ad convenientiam cum Maſora correxerunt; unde factum est, ut paucae tantum lectiones variantes, quae Criticorum Iudaïcorum diligentiam effugerunt, in editionibus Talmudis remanſerint (*b*).

Qui itaque in posterum novam locorum ſcripturae S. in Talmude citatorum collationem inſtituere velit, debebit hanc ad rem plures huius operis Codices Msſ. conferre.

Tandem et hoc obſervandum est, in Talmude ſaepe ita citari loca Codicis ſacri, ut primo adſpectu varietas lectionis adesſe videri posſit, quae tamen talis revera non est, cum e. c. tantum alluditur ad hunc illumve locum, vocibus quibusdam de industria mutatis, cum initium tantum loci citatur, reliquis ad ſupplendum lectori relictis, cum denique quaedam

ex

ex ingenio citantis ad illustrationem locorum citatorum adduntur. Immo phrasis in Talmude saepius, quando locus quidam Codicis sacri citatur, obvia, *ne legas sic, sed sic*, non lectionis varietatem denotat, sed interpretationem tantum allegoricam ingeniique lusum, mutandis quodammodo vocibus quibusdam captatum (*c*).

(*a*) Ex Iudaeis huc pertinet imprimis *R. Iacobus Ben Chaiim, in praefat. ad Biblia Bombergiana*, § 18 seqq. versionis Latinae apud *Kennicottum*, *Dissert.* II *super ratione textus Hebr.*, *pag.* 323 seqq. cui et alii Rabbini addi possunt, citati ab *Eichhornio*, *l. c.*, *Tom.* II, *pag.* 10, not. *n.* E Christianis primus, quantum novimus, *Cappellus*, *Crit. S. L.* V, *C.* XII, § 3 professus est, aliquam et forte non raram reperturos fore lectionis discrepantiam, qui citata in Talmude loca Codicis sacri cum textu sacro consulant. Deinde et *Buxtorfius*, *Anticrit. P.* II, *C.* 12 se aliquas in Gemara lectionis varietates invenisse, dicit, e qua et quasdam exhibuit *Claudius Cappellanus* in libello, *Mare Rabbinicum infidum*, quem *Th. Crenius* inseruit *Fasciculo* X *opusculorum*, *quae ad Historiam ac Philologiam sacram spectant.* E *Mischna* deinde variantes aliquas lectiones congessit *Frommannus*, *Opusc.*, *Tom.* I, *pag.* 1—46. Tandem et *Io. Gill*, denuo Talmudem universum contulit pro *Kennicotto*, in cuius lectionum variantium catalogo Talmud notatur *num.* 650.

(*b*) Sic *Frommannus*, *l. c.* in universa *Mischna* duodecim tantum lectionis varietates invenit, *Gillius* ex universo Talmude *Kennicotto* mille quidem exhibuit, sed plerasque ad minutias tantum orthographicas pertinentes. De caussis huius varietatum paucitatis conf. *Frommannus*, *l. c.*, § 8, 9, *pag.* 26 seqq.

(*c*) Exempla eorum, quae hic dicuntur, suppeditat *Frommannus*, *l. c.*, § 7, *pag.* 24 seqq.

§ 71.

F. *Inquiritur, quisnam ſit uſus criticus Maſorae.*

F. Ultimum denique, quod ad reſtituendum textum Hebraeum, prouti ante Maſoram ſe habuit, adhiberi potest ſubſidium, ſecundum § 58 ipſa est Maſora, de cuius origine, indole et conſilio latius dictum est § 29, ubi quae dicta ſunt in memoriam ſunt revocanda, quo rectius et certius teneantur, quae hic dicenda ſunt.

Probe ante omnia obſervandum est, labori huic critico Iudaeorum iustum pretium esſe ſtatuendum, quod eius valorem neque nimium extollat, neque nimium deprimat.

Nimium ſane non extollet Maſoram, qui obſervaverit magnam eius partem in minutiis verſari, eiusque contextum cum in Codicibus Msſ. tum et in editionibus adeo esſe corruptum et confuſum, ut de eius plenaria ad integritatem reſtitutione penitus desperandum ſit, uti itidem iam § 29 indicatum est.

Ex altera vero parte neque contemnet Maſoram, qui obſervaverit ea contineri lectiones, quarum aetas non Hieronymi tantum, utpote cum cuius lectionibus plerumque conveniat, verum et forte ipſius Ieſu et Apostolorum aetatem antecedat; adeoque hoc nomine omnibus nostris Codicibus Msſ. longe est praeferenda (*a*).

Imprimis praeter alias lectionis varietates, quas Maſorethici collegerunt, § 27 recenſitas, ingens est valor illarum variantium lectionum, quae קרי et כתיב appellantur, de quibus iam verbulo dictum est § 27, no. V. in quibus autem recte diiudicandis a vero aberrant cum Iudaei, et qui eos ſe-

ſequuntur, qui in omnibus locis Keri τῷ Cetibh praeferunt, unde et in editionibus puncta τοῦ Cetibh ſemper ad literas τοῦ Keri pertinent, tum et ii, qui ſemper Cetibh praeferunt, a quo vitio ne ipſa quidem antiquior ſchola Schultenſiana immunis fuit (*b*). Contra etiam hic medium tenere praeſtabit, adeo ut utramque lectionem iudicio critico ſubiicientes, illam eligamus, quae ſecundum illud optima videatur.

(*a*) Conf. omnino *Eichhorn*, *l. c.*, § 157, 158 et praeſertim *Fabricy*, *l. c.*, *Tom.* II, *pag.* 302—307, qui Maſoram imprimis contra indignas criminationes quorundam recentiorum criticorum, uti *Morini*, *Houbigantii*, *Kennicotti* aliorumque defendit. *Ravii*, *Exercit*, *pag.* 18 ſqq. Coll. *Ernesti*, *Bibl. Theol.*, *Tom.* V, *pag.* 166.

(*b*) Putabat enim *A. Schultenſius*, primique eius diſcipuli, originem τῶν Keri, quaerendam esſe in critica Maſoretharum cenſura, ſuis ipſorum auſpiciis ſuſcepta, indeque nata, quod voces quasdam invenisſent, quarum vel formam vel veram ſignificationem ignorasſent, quae igitur corrigendae iis viſae ſint. Sententiam hanc imprimis propugnavit *Franciscus Tſepregi*, in *Disſert.* praeſide A. S. habita, *De authentia ſelectiorum Cethibim*, inſerta *Syllogi Disſert. Leidenſi*, *Tom.* I, *pag.* 121 ſeqq. quacum iungantur duae disſertationes *I. I. Schultenſii*, *De utilitate dialectorum Orient. ad tuendam Codicis Hebraei integritatem*, ibidem, *pag.* 329 ſeqq., et *D. Mesſinghii*, *Disſertatio de authentia quorundam Cethibim*, *ibid. Tom.* II, *pag.* 883 ſeqq. qui et in praefatione ſententiam hanc breviter ac perſpicue exponit. Eam vero probandam non esſe, ex iis, quae antea ad hiſtoriam textus Hebraei dicta ſunt, ex ipſa harum variantium lectionum examine, et e contorta quorundam Cethibim a ſchola Schultenſiana facta explicatione, luculenter apparet.

§ 72.

II. *Summatim exhibetur ſecunda adminiculorum Criticorum ſpecies, pertinens ad reſtituendum textum, qualis fuit post recenſionem Maſorethicam.*

II. Expoſitis adminiculis criticis, quae inſerviant reſtituendo textui Hebraeo, qualis fuit ante recenſionem Maſorethicam § 58—71, iam ſecundum § 57 videndum erit de illis adminiculis Criticis, quae conducant reſtituendo eidem textui, prouti recenſione Maſorethica ſecundum § 29, conſtitutus est. Huc pertinent

1) verſiones quaedam ſecundum recenſionem Maſorethicam ex Hebraïco textu confectae,

2) citationes aliquae locorum quorundam Codicis Hebraei in ſcriptis Rabbinorum,

3) codices manuſcripti,

4) editiones principes.

§ 73.

A. *De uſu critico agitur verſionum quarundam, ſecundum recenſionem Maſorethicam ex Hebraico textu confectarum.*

A. Primo itaque hic in cenſum veniunt verſiones quaedam, ex Hebraïco textu, ſecundum recenſionem Maſorethicam conſtituto, factae, de quibus generatim obſervandum est, eas, licet plerumque cum textu Maſorethico conveniant, aliquando tamen lectiones ſequi meliores, e diverſis Codicum Mſſ. Maſorethicorum exemplaribus profectas. Pertinent huc

א. verſiones quaedam Arabicae, e quibus

α. princeps est verſio, quam confecit *R. Saadia Gaon*, anno 942 mortuus, de qua iam verbulo dictum est § 31. Trânstulisſe eum univerſum Codicem V. F., ſecuti auctoritatem *Erpenii* et *Pocockii*, multi exiſtimant, ſed argumentis nixi omni dubio haud maioribus.

Primum habemus ex hac verſione Pentateuchum, quae vero paraphraſis potius est, quam verſio, multis inſuper aucta interpolationibus, potisſimum e verſione Arabica Pentateuchi Samaritani profectis. Editus est hic Pentateuchus primum *Conſtantinopoli* figuris literarum Hebraïcis, deinde e Codice Ms. in polyglottis Pariſienſibus, e quibus, collata ſimul editione Conſtantinopolitana, in polyglottis Londinenſibns repetitus est.

Porro exſtat verſio libri Ieſaiae eadem ratione a Saadia confecta, quam anno 1790 et 1791, Ienae e Codice Msſ. Bibliothecae Bodleianae edidit cl. *H. G. Paulus*. Cum vero Saadias textum Maſorethicum presſe ſequatur, multisque eius verſio aucta ſit interpolationibus, exiguus eius est in critica uſus (*a*).

β. Exſtat porro verſio Arabica Pentateuchi, quam e Ms. Arabico, Hebraicis literarum figuris conſcripto, quod exſtat in Bibliotheca Lugduno Batava, anno 1622 edidit Erpenius, quae a Iudaeo quodam Mauro facta, textum Hebraeum ſerviliter ſequitur, recentisſimaeque est aetatis, exigui igitur valoris (*b*).

γ. Neque melioris indolis est verſio libri Ioſuae, in polyglottis Pariſienſibus ac Londinenſibus edita, ex ipſo textu Hebraico facta, cuius vero et auctor et aetas prorſus adhuc latent.

δ. Vix etiam commemoratione digna est verſio, e textu Hebraeo, ab Iudaeo quodam Maroccano, *Saadia Ben Levi Asnekoth*, ſaeculo 17 facta, et a textu Maſorethico numquam recedens (*c*).

ε.

ε. Addi potest verſio Arabica Pentateuchi Samaritani, auctore quodam *Abu Said*, mortuo anno 1237 in Msſ. adhuc latens, ac non niſi per fragmenta aliqua, a quibusdam viris eruditis edita, cognita, quae e Codice Hebraeo-Samaritano confecta, eum presſe ſequitur, ac ſcholia quaedam auctoris adiecta habet, et cuius univerſae editio ad criſin Pentateuchi Samaritani haud exigui esſet momenti (*d*).

ב. Verſio Rabbinica eorum, quae in libris Danielis et Ezrae Chaldaice exſtant, Maſorethico textui ſerviliter adſtricta, aetatis incertae, et nullam fere in re critica utilitatem praeſtans. Edidit illam *I. L. Schulze*, Halae 1782, 8°. (*e*).

ג. Exſtat quoque in Bibliotheca S. Marci Veneta verſio quaedam Graeca Pentateuchi, librorum Salomonaeorum, libri Ruthae, Threnorum Ieremiae ac Danielis, ex ipſo textu Hebraico, forte tempore, quod ſextum inter ac decimum ſaeculum intercesſit, ſaltem haud prius, confecta; quam, cum diu latuisſet, ediderunt, *Io. Baptista Casparus d' Ansſe de Villoiſon*, Argentorati, anno 1784 et *Christ. Frid. Ammon*, Erlangae, 1790, 1791. Verſio autem haec cum alia habet vitia, quae ad dictionem interpretandique rationem pertinent, tum et plerumque, paucisſimis tantum lectionis varietatibus exceptis, presſe ſequitur textum Maſorethicum, adeoque in diiudicanda lectionum varietate textus Maſorethici auctoritatem habet, Codicis vetustisſimi auctoritati parem (*f*).

ד. Posſemus his addere paraphraſes quasdam Chaldaicas recentiores, niſi de iis iam dictum esſet § 65.

(*a*) Vid. de hac verſione *Fabricy*, *l. c.*, *Tom.* I, *pag.* 366, 370, not. 377 et *Tom.* II, *pag.* 242 ſeqq. nec non *Eichhorn*, *l. c.*, § 277—283, auctoresque, ab iis citati.

(*b*) Conf. *Eichhorn*, *l. c*, § 284, et *Bauer*, *l. c.*, § 90.
(*c*) Vid. *Eichhorn*, *l. c.*, § 285 et *Bauer*, *l. c.*, § 91.
(*d*) Late de hoc verfione egit *Eichhorn*, *l. c.*, § 286—289, qui et alios auctores excitat, huc conferendos.
(*e*) Vid imprimis erudita *Schulzii* praefatio, huic verfioni praemisfa.
(*f*) De hac verfione conf. omnino *Eichhorn*, *l. c.*, § 211 et *Bauer*, *l. c.*, § 58, auctoresque ab iis citati.

§ 74.

B. *Indagatur ufus criticus citationis locorum quorundam Codicis Hebraei in fcriptis Rabbinorum.*

B. In fcriptis Rabbinorum, utpote qui a faeculo XI ad XV floruerunt, qui igitur antiquioribus plerumque non ufi funt Codicibus Msf. quam ii funt, qui adhuc reftant, aliquae quidem, fed haud multae, eaeque magnam partem exigui momenti reperiuntur deviationes a textu Maforethico, quae ut non adeo ex editis Rabbinorum libris, utpote faepe ad convenientiam cum textu Maforethico correctis, quam e Codicibus eorum Msf. colligerentur, optandum esfet. Imprimis autem varietates lectiones colligi posfunt e *Davidis Kimchii libro Radicum*, ex editione Neapolitana, anno 1490 a *Samuele Latipho* procurata; in reliquis enim editionibus citata loca e Codice facro femper fere ad textum Maforethicum correcta funt (*a*).

Interim et hoc obfervandum est, quod et de citationibus Talmudicis dictum est § 70, non omnia, quae fpeciem habent variantium lectionum, pro talibus vere habenda esfe, cum illi, aeque ac Doctores Thalmudici, faepe, vel e memoria citent, vel ad loca quaedam tantum alludant, vel per lufum allegoricum textum aliquando immutent (*b*).

(*a*) De ufu critico citationum a Rabbinis e libris facris factarum, exiguo quidem, licet haud prorfus fpernendo, conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 341. *Iahn*, *l. c.*, § 123. *Bauer*, *l. c.*, § 129. E *Rafchii* commentariis variantes quasdam lectiones contulit *Tychfenius*, *Repert. Eichhorn*, *Tom.* I, *pag.* 169. Itidem, ex Rabbinis varias quasdam lectiones collegit *De Rosfi*, uti et exemplis quibusdam probat *Bauerus*, *l. c.* Alia quaedam variantium lectionum exempla fuppeditat *Cappellus*, *l. c.*, *L.* V, *C.* XII, § 21—29.

(*b*) Conf. *Bauer*, *l. c.*, § 137.

§ 75.

C. *Exponitur ufus criticus Codicum manufcriptorum, quorum divifio generalior et forma externa confideratur.*

C. Tertium emendandi textus Maforethici fubfidium praebent Codices manufcripti. Si librorum facrorum *autographa* ad manus nostras pervenisfent, illa et *apographa* primariam conftituisfent Codicum Msf. divifionem; autographa vero cum, communi omnibus libris vetustisfimis forte, perierunt, fola nobis reftant apographa. Atque ex his iterum caremus Codicibus antiquioribus, utpote quibus, praeter temporis iniuriam, iam fatis cito interitum pararunt crebrae nationis Iudaïcae migrationes ac vicisfitudines, imminutumque hinc per longam temporis periodum librorum facrorum ftudium (*a*).

Codices Msf. nempe, qui ad nostram aetatem pervenerunt, non tantum omnes Maforethica recenfione funt recentiores, verum et faeculo ad fummum X vel XI antiquiores non funt, cuius rei causfa haud improbabilis quaenam fit, iam dictum est § 31.

Codices autem illi funt vel *Synagogici*, vel *privati*. *Codices Synagogici* nempe funt volumina illa, quae

Iudaei iam a longo inde tempore in usum Synagogarum describere et in iis praelegere solent, Pentateuchus nempe Mosaicus, porro quaedam Prophetarum pericopae, quas הפטרות appellant, et Estherae liber, quem in festo *Purim* praelegunt. Horum voluminum nullum est punctatum; in iis porro character literarum est quadratus: suntque illa conscripta secundum regulas quasdam, ex una quidem parte superstitiosam minutamque, liberali ingenio indignam diligentiam indicantes, ex altera vero parte tales, quae gravioribus vitiis omnem occasionem praecidant (*b*); quamquam simul fatendum est, etiam sic antiquiora quaedam vitia in textu relicta fuisse, et inveniri etiam quosdam, licet pauciores Codices Synagogicos, e. c. Codd. Kenn. 105, 124, 229, 382, qui haud raro lectionem Masorethicam deserunt. Antiquiora autem volumina synagogica rariora sunt, cum soleant Iudaei iam a longo inde tempore exemplaria, quando vetustate aut usu detrita sunt, seorsum deponere, vel et sepelire.

Codices privati, quorum longe maiori numero gaudemus, tales sunt, qui in privatos usus descripti sunt. Hi plerumque libri sunt compacti, universos libros sacros complexi, et charactere literarum exarati plerumque quadrato (*c*), ac punctis ut plurimum instructo. Character autem ille quadratus in universum idem est, qualem et hodie videmus in exemplaribus impressis, licet figurae literarum eam, qua nunc ornantur, non habeant, elegantiam, unde aliqua in quibusdam literis, licet levior, differentia a nostris hodiernis conspicitur, eaque talis, quae aliquando eam mutationibus literarum in Msf. ansam dat, qualis iam quidem accidere non posset (*d*). Idem observandum est de *punctis*, in quorum et figuris et situ quaedam etiam aliquando ab hodierno

usu

usu cernitur differentia, quamquam in universum eadem sunt, ac nostra hodierna (*e*).

In quibusdam insuper Codicibus, sed plerumque recentioribus, voces quaedam per compendia scribuntur, nempe

1) voces quaedam saepius una in serie repetitae, prouti sic *Ps.* CXXXVI pro verbis, quovis versiculo repetitis כי לעולם חסדו in quibusdam Codd. est כ׳ ל׳ ח׳.

2) In fine linearum aliquando quaedam voces decurtantur מו׳ pro מות ישר׳ pro ישראל אלה׳ pro אלהים etc.

3) In aliis quibusdam vocibus, saepe occurrentibus quaedam literae decurtatae praecedenti literae annectuntur, uti מ־ה pro מה. ש־ה pro שה. אש־ pro אשר. quo etiam pertinet, quod aliquando ad finem lineae litera ש ita posteriore sua parte decurtatur, ut similitudinem referat literae ע, qua ratione in quibusdam Codd. est מעה pro משה, שלעת pro שלשת (*f*).

Praeterea cum Iudaei, utpote *καλλιγραφίας* studiosissimi, omnes paginarum lineas ad finem aequales facere soleant, saepe si vox ad finem lineae abrumpenda esset, priores tantum eius literas ponunt, ita tamen, ut in sequente linea repetant totam vocem; licet aliquando etiam, spatium quod in linea restat, suppleatur signis quibusdam, quae literis ה, vel מ, vel ע quodammodo similes sunt (*g*).

Porro, licet spatium, quod singulas inter lineas intercedit, purum servare conarentur, aliquando tamen illud impendebant vel omissis in textu matribus lectionis (ו et י) vel emendationibus, vel et ad finem linearum literis, quae e voce, quae abrumpenda esset, remanebant: denique sunt etiam Codices, in

quibus ſpatium hoc deinceps a Christiano librario impletum conſpicitur verſione Latina (*h*).

Distantia quoque inter diverſos libros, inter Paraſchas et Haptharas vel ſpatio quodam vacuo, vel aliis modis notantur (*i*); eo ſolo excepto quod in omnibus Codd. Msſ. duo libri Samuelis, duo Regum libri, duo libri Chronicorum, denique Ezrae ac Nehemiae libri non ſeiunguntur, ſed iuncti exhibentur.

Haec praecipua ſunt, quae de externa Codicum Msſ. forma tenenda ſunt, cetera, quae minoris ſunt momenti, quae et ab aliis expoſita ſunt, tuto mittimus (*k*).

(*a*) Latius has deperditorum codicum antiquiorum cauſſas expoſuit *De Rosſi*, *Proleg.*, § 5.

(*b*) Regulas has, in compendium redactas, exhibet *Bauerus*, *l. c.*, § 104. Plene autem illae exhibentur in libro מסכת סופרים (*liberi ſcribarum* ſeu *de ſcribis*) qui Thalmudi annexus est, ſed auctoritate et aetate Thalmude est inferior.

(*c*) Excipiuntur aliqui Codices, a *Kennicotto* collati, conſcripti charactere literarum, vel Rabbinico, vel ſaltem proxime ad illam accedente, de quibus conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 377, et loca e *Kennicotti*, *Disſ. Gen.* ibi citata.

(*d*) Hoc quibusdam exemplis iam a nobis probatum est § 43. Accurate autem hanc literarum in Codicibus Msſ. a nostris hodiernis differentiam multis exemplis alphabetice dispoſitis, ostendit *Eichhorn*, *l. c.*, § 352.

(*e*) Exempla videantur apud *Eichhornium*, *l. c.*, § 353 et *Bauerum*, *l. c.*, § 107.

(*f*) Conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 356, et *Bauerus*, *l. c.*, § 108, *pag.* 360. In Codicibus antemaſorethicis ſcribendi compendia frequentiora fuerunt, multisque anſam dederunt lectionis varietatibus, uti probatum est § 50.

(*g*) Simile quid in Codicibus Msſ. iam ante recenſionem Maſorethicam factum esſe, dictum est § 40, ב. Ceterum conf.

conf. *Eichhorn*, *l. c.*, § 357, et *Bauer*, *l. c.*; *pag.* 361, 362, qui et alios quosdam exhibet modos, quo in Codd. Msf. lineae fupplentur.

(*h*) Vid. *Eichhorn*, *l. c.*, § 358.

(*i*) Varios illos modos accurate exhibent *Eichhorn*, *l. c.*, § 359, et *Bauer*, *l. c.*, § 112.

(*k*) Accuratisfime, immo ad minutias usque de forma codicum Msf. externa egit *Eichhorn*, *l. c.* § 347—377. Auctores, qui de Codd. Msf. egerunt, vel illos collatos defcripferunt, exhibet *Bauer*, *l. c.*, § 102.

§ 76.

Codicum Manufcriptorum fcriptores.

Confcriptio Codicum Hebraeorum ita plerumque perfecta est, ut uni Codici in formam fuam redigendo plures manum admoverint. Scilicet, uti vel ex diverfa fcriptarum literarum forma, vel ex atramenti diverfitate, vel e Codicum quorundam fubfcriptionibus apparet,

1) plerumque alii literas confonantes pinxerunt, סופרים i. e. *fcribae* appellati, alii confonantibus puncta addiderunt, dicti נוקדים, *punctatores*, qui fimul vitia, quae fcriba forte commiferat, corrigebant.

2) In multis Codd. a fcriba et punctatore diverfus est quoque is, qui Maforam adfcripfit.

3) Sunt et Codices quorum marginibus vel unus vel plures notas adfcripferunt, quae non tantum expofitiones, verum et vitiorum correctiones continent.

4) Reperiuntur quoque Codices, in quibus literae vocesque, vel et earum partes, vetustate, vel alia de causfa deletae, ab alio reftitutae fuerunt (*a*).

Illos autem, qui fcribendis Codicibus Hebraeis adhibiti funt, fuisfe Iudaeos, faepisfime ex fcriba-

 rum

rum ſubſcriptionibus, quibus religionem confitentur, apparet, et in iis, quibus ſubſcriptio non est adiuncta, e ſimilitudine cum Codicibus ſubſcriptis idem colligitur.

Hoc vero licet ita ſe habeat, negari tamen nequit, fieri ſaltem posſe, ut inter Codd. Msſ. ſint quidam, licet paucisſimi, qui vel a pueris vel a feminis Iudaicis ſcripti, adeoque minoris momenti ſint, vel et a Christianis, imprimis ab illis, qui ex Iudaismo ad Christianum religionem ſe converterint, conſcripti ſint, quorum tamen numerus valde est exiguus, et quibus etiam, ſi ſint, omnis valor abiudicandus non est (*b*).

(*a*) Conf. ad haec illustranda *Eichhorn*, *l. c.*, § 364, 366—370 et *Bauer*, *l. c.*, § 113.

(*b*) Anno ſcilicet 1772 *Ol. Gerh. Tychſen*, Philologus Orientalis eo tempore Butrovienſis, libellum edidit, quem inſcripſit: *Tentamen de variis Codicum Hebraïcorum Vet. Test. Msſ. generibus, a Iudaeis et non-Iudaeis deſcriptis*, quo probare conatus est, multos Codices Msſ. Hebraeos, quibus iam utimur, vel a pueris, ut ſe in arte ſcribendi exercerent, vel et a Non-Iudaeis, non tantum proſelytis, verum et Monachis Christianis esſe conſcriptos, qui libellus paradoxus quidem, at eruditisſimus multis Tychſenium inter et alios controverſiis anſam dedit, quae tandem hunc habuerunt exitum, ut ex una parte haud quidem prorſus negari posſit, quod Tychſenius defendit, ex altera autem parte conſtiterit, eius ſententiam ad valde exiguum Codicum Msſ. Hebraïcorum numerum applicari posſe. Prae ceteris de ſententia hac Tychſeniana conferatur cenſura libelli commemorati, inſtituta ab Ill. *Michaëlis*, *Orient. und exeget. Bibliothek*, *Tom.* II; *pag.* 357—381 et *pag.* 451—466 et qui brevius, licet haud minus accurate argumentum hoc pertractat, *Eichhorn*, *l. c.*, § 365.

§

§ 77.

Codicum Msf. Hebraeorum patria, et recenfiones.

Optandum esfet, ut certae definiri posfent notae, quibus patria Codicum Hebraeorum dignofci posfet, feu regio, ubi confcripti funt: imprimis hoc optandum esfet de Codicibus Hispanicis, Germanicis, et Italicis, quippe in aliis regionibus fcriptos Codices huc usque non habemus. At vero, fi excipiantur Codices, quibus addita fubfcriptio patriam indicat, figna patriae, quae huc usque eruditi collegerunt, nondum funt tam certa, ut iis femper tuto confidere posfimus (*a*); quae tamen, fi certa esfent, forte eo multum adiuvaremur in digerendis Codicum clasfibus; cum haud improbabile fit, Iudaeos pro diverfitate regionum, quo fe receperunt, diverfos habuisfe Codices principes, e quibus diverfae Codicum clasfes feu recenfiones profluxerint (*b*).

Immo in univerfum optandum foret, ut accuratius, quam huc usque factum est, inftitueretur examen, *recenfionum* illorum Codicum Msf. quos iam habemus, et qui forte deinceps detegentur, id est, ut inquireretur, qua cognatione plures codices fecum fint coniuncti, feu quinam Codices ex aliis defcripti fint; hoc enim nifi conftet, faepe plures Codices in unam lectionem confpirantes pro totidem testibus habemus, cum, fi de recenfionibus Codicum certius conftaret, plurium codicum, qui e communi fonte defcripti esfent, in lectionem quandam confenfio, non nifi pro uno teste esfet habenda, utpote quae confenfio fic tantum confirmaret lectionem principis illius Codicis, e quo omnes reliqui ducti esfent. Diligens itaque et accuratum hoc folo confilio inftituendum est examen Codicum Hebraeorum, quamquam

quam et eos, quibus Codices ipſis inſpicere non licet, multum etiam iuvarė potest uſus accuratus collationis Kennicottianae et Rosſianae; quippe quando ſic reperiemus Codices plures, qui plerumque, etiam in minutiis, inter ſe conſentiunt, ex uno eodemque fonte, ſeu ex uno quodam Codice derivatos esſe, adeoque illos non niſi unius testis auctoritate pollere.

(*a*) Signa haec diiudicarunt *Eichhorn*, *l. c.*, § 371, *Bauerus*, *l. c.*, § 115, et *Iahn*, *l. c.*, *pag.* 433, 434. Specimen Codicum Hispanicorum, nempe Kennicottianorum 290, 293, et 682 dedit *Brunſius*, in tabula aenea *praefationi* ad *Disſert. Gen. Kennicotti* ſubiuncta. Codicis Italici ſpecimen conſpicitur ibidem ſumtum e Codice 1 Kennicottiano, et ſpecimen Codicis Germanici e Codice Kennicottiano 96.

(*b*) Sic Hispanici Codices plerumque ſequi dicuntur Codicem Hillelianum, de quo dictum est § 27, utpote quem, excepta parte in Africa vendita, Toleti asſervatum, ipſum ſe vidisſe dicit *R. Zacutus*, addens Hispanos Iudaeos ex eo corrigere omnes Codices ſuos, in Tractatu Thalm. *Iuchaſin*, fol. 132, col. 1. Similiter forte et Iudaei, inter alias nationes disperſi, ſuos habuere Codices originarios, ad quos omnia reliqua exemplaria conformarent.

§ 78.

Aetas Codicum Mſſ.

In Codicibus Mſſ. omnino est *aetas* conſideranda.

I. Magni est momenti, ut de *aetate* ſingulorum Codicum conſtet: quo enim antiquior est Codex Mſſ., eo propius accedit ad aetatem ipſius auctoris, ac deinde magnam praeſtat utilitatem antiquitatis Codicum notitia, ſi quando examinandum est utrum Codices ex aliis deſcripti ſint, an minus,

nus, quippe ſic apparebit, quinam Codices ſint primi, quinam autem e primis derivati.

Interim ſummae est difficultatis opus veram Codicum Hebraeorum aetatem indagare; etenim, quamquam ſint Codices, in quibus ſubſcriptio aetatem clare deſignat; habet tamen haec ipſa etiam aetatis nota haud raro multum incerti; nam praeterquam, quod Codices exſistant, qui aetatis ſignificationem non exhibeant in ſubſcriptione, ſed iam quaſi recondant in loco quodam Maſorae ad marginem textus, ubi eam haud facile quaeſieris, ſunt etiam Codices, qui pluribus olim tomis conſtiterunt, ſed quorum ille tomus, cui forte ſubſcriptio addita fuit, periit. Praeterea etiam aliquando contigit, posſesſores Codicum quorundam, quo maiori illos pretio venderent, ſubſcriptionem addidisſe, quae antiquiorem indicaret aetatem, qua Codex ſcriptus esſet, eraſa etiam, vel mutata ſi' qua adesſet, ſubſcriptione legitima. Alii porro exſtant Codices, quibus anni quidem cuiusdam nota est addita, ſed ita ut omisſa ſit mentio aerae, ſecundum quam ille computandus ſit; Iudaei quippe annos ſemper vario modo computarunt, vel a creatione mundi, vel ab Alexandri ad urbem Hieroſolymorum adventu, quae aera contractuum dicitur, incidens in annum 332 ante Christum natum (*a*), vel et ab excidio templi ſecundi, ſeu deſtructa republica Iudaica. Denique ſunt et Codices, quorum vel ſcriba vel punctator nomen ſuum exhibent, ſed absque ulla temporis, quo vixerint, vel Codicem ſcripſerint, mentione, quod itaque tempus ne tunc quidem certo cognoſci potest, quando ſcriba vel punctator eiusdem nominis additaque aetatis ſignificatione alio in loco invenitur, cum fieri potuerit, ut idem nomen pluribus, aetate licet a ſe invicem distantibus, fuerit commune (*b*).

Haud

Haud minus faepe dubiae et fallaces funt aetatis Codicum Msf. notae *internae*, quas *Iablonſkius*, *Houbigantius*, *Kennicottus*, *Rosſius* aliique protulerunt, quales funt, fcripturae ruditas et fimplicitas, Maforae paucitas vel abfentia, abfentia punctorum vocalium, literae detritae vel alio atramento obductae, atramenti pallor, abfentia literarum maiusculararum, minuscularum, fimiliumque fuperftitionis Iudaïcae fignorum, et quae funt fimiles notae aliae, utpote quae haud raro vel antiquioribus et recentioribus Codicibus communes funt, vel et ab aliis causfis, quam a vetustate oriri posfunt (*c*).

(*a*) Alii aeram contractuum computant a Seleuco, Babyloniae Rege, quando annis 312 anterior erit Christo nato, quod vero 20 annorum discrimen hoc faltem in argumento parvi est momenti.

(*b*) *I. C. Wolfius*, *Bibl. Hebr.*, *Vol.* II, *pag.* 537 contexuit aliquem fcribarum punctatorumque Iudaïcorum catalogum, fed quo propter idem nomen faepe pluribus commune parum adiuvamur.

(*c*) Ostendit hoc imprimis *Tychfenius*, *lib. cit.*, *Sect.* III, *pag.* 258 feqq. *Schnurrer*, *Disfert.*, *pag.* 1 feqq. *Eichhorn*, § 372. *Bauer*, § 116—119 et *Iahn*, § 116, *pag.* 426 feqq.

§ 79.

Eorundem bonitas.

II. Praeter aetatem in cenfum venit Codicum Msf. *bonitas:* haud enim femper quo antiquior eo melior et quo iunior eo peior est Codex; contra posfunt Codices antiquiores fi e corruptioribus exemplaribus defcripti, aut a negligente librario exarati fuerint pesfimae esfe notae, et contra Codices iuniores, fi ex accuratioribus Codicibus fint defcripti, et ab accu-

curato librario confecti, haud raro antiquioribus ſunt praeſtantiores.

Antiquior itaque Codex tum demum maioris praeſtantiae laudem habebit, quando ſimul multas bonas offert lectiones.

Neque etiam certo bonitas Codicum Msſ. Hebraeorum diiudicatur ex aliis quibusdam criteriis, quae huc usque protulerunt Critici plerique, Hispanicos e. c. Codices praeferentes Germanicis, et maiorem praeſtantiam adſcribentes Codici, qui vel in gratiam illustrium virorum, vel a docto quodam librario, vel eleganti conſcriptus ſit literarum charactere. Haec enim et ſimilia criteria vel talia ſunt, quae ſaepe difficulter diiudicentur, uti v. c. num Codex ſit Hispanicus vel Germanicus, vel talia quae tot habeant ſecum coniunctas reſtrictiones exceptionesque, ut iis nunquam tuto fidere liceat (*a*).

Vere autem bonitas Codicum cenſetur

1) accuratione ſcriptoris, quae imprimis apparet paucitate talium vitiorum, quae ex ignorantia aut incuria oriuntur.

2) copia maiore variantium lectionum memoratu digniorum, quae a Maſorethica lectione disſentiunt, et praecipue talium, quae cum lectionibus Pentateuchi Samaritani et veterum interpretum conſentiunt. Hoc enim indicium est, Codices tales ex antiquioribus, qui non prorſus ad recenſionem Maſorethicam conformati ſint, originem ducere.

Nec tamen nullius ſunt uſus Codices vitioſi, quippe uti in iis manifesta vitia facile a variantibus lectionibus distinguuntur, ita ſaepe fieri potuit ut e melioribus imo optimis Codicibus derivati ſint, adeoque haud paucas contineant bonae notae lectiones.

(*a*) Hoc imprimis accurate probarunt *Eichhornius*, § 373 et *Bauèrus*, § 120.

§ 80.

Collationes Codicum Msſ. Hebraeorum huc usque inſtitutae. Earum utilitas, et quid porro deſideretur.

Quinam Codicibus Msſ. conferendis manum admoverint, iam dictum est § 3, no. VII—X. Ibi dicta ſi conferantur, ſimul apparebit, maxima hac in re merita fuisſe *Kennicotti* et *Rosſii*, qui utrique contulerunt Codices Hebraeos aeque ac Samaritanos 1346, quorum autem codicum catalogum contexere nedum deſcriptionem exhibere, inſtituti nostri ratio non patitur: utiliter tamen, qui aliquos in critica ſacra profectus facere cupiat, recenſiones et deſcriptiones Codicum Msſ. conſulat, datas a Kennicotto, Rosſio et aliis quibusdam viris doctis (*a*).

De harum collationum utilitate in re critica ea quae dicta ſunt § 75—79 dubitare non ſinunt:

1) quippe haud paucas ex iis colligere posſumus obſervationes grammaticas de punctis, de vocibus plane vel defective ſcriptis etc. in quibus magnam esſe Codicum Msſ. varietatem, eorum uſus quemvis docebit.

2) haud parum utilitatis praeſtant in emendando textu Hebraeo Maſorethico, utpote ad quem conformatos esſe omnes Codices Msſ. ſupra dictum est, ad cuius itaque reſtitutionem proxime ſpectant.

3) Haud raro quoque in diiudicandis iis lectionibus variantibus opem praeſtant, quae in Pentateucho Samaritano et apud antiquisſimos interpretes reperiuntur, cum et Codices Maſorethici non ita inter ſe conveniant, quin et multas lectiones antiquiores quidam ſaltem eorum conſervaverint.

4) Si lectiones Codicum Msſ. cum textu typis impres-

presſo, et cum antiquioribus interpretibus comparemus, certo definere poterimus, quid de integritate ac corruptione textus Hebraei ſentiendum ſit, nempe ex una parte, eum ad rem ſummam esſe adhuc integrum, ex altera autem parte vitiis quibusdam, ſed quae integritati non obſtent, infectum, coll. § 35 (*b*).

Multum vero est, quod in uſu critico codicum Msſ. adhuc deſideretur:

1) enim utilisſimum esſet, ſi omnium, quotquot huc usque collati ſunt, Codicum deſcriptio plenior et collatio denuo inſtitueretur, et vitia, quae ſine dubio in collationibus praecedentibus aliquando commisſa ſunt, corrigerentur.

2) Codices nondum collati, quales adhuc plures latent cum in quibusdam Bibliothecis, tum et forte in aliis mundi partibus remotioribus, quo Iudaei disperſi ſunt (*c*), aut qui aliis modis conquiri posſunt (*d*), ſollicite conferendi ſunt.

3) Denique omnis hic labor eo imprimis conſilio est inſtituendus, ut notae cum aetatis, tum bonitatis Codicum accuratius, quam huc usque factum est, figantur, quo via paretur ad eam Codicum in clasſes ſuos distributionem, quae ſingulorum valorem clariore, quam huc usque nos collustravit, in luce collocet.

(*a*) *Kennicottus* et *Rosſius* ſuos Codices deſcripſerunt, ille in disſertatione ſua generali, una cum additamentis *Brunſii* edita Brunovici anno 1783, hic in *prolegomenis*, operi ſuo critico praemisſis. Praeter hos et alii fuerunt, qui ſingulares quosdam Codices deſcripſerunt et contulerunt, quos recenſuit *Roſenmuller*, *Handb. für die Literatur der Bibl. Kritik und Exegeſe*, *Tom.* II, *pag.* 22—34 et *Iahn*, *l. c.*, *pag.* 435, 436, not.

(*b*) Conf. *Eichhorn*, § 375 et *Bauer*, § 123.

(*c*) Prouti et alia κειμήλια e Bibliothecis locupletioribus depromta et in lucem edita funt, quae in iis reperiri, nemo olim fciverat, ita et multos adhuc in iis Codices Hebraeos latere hactenus incognitos, haud improbabile est. Praeterea cum Iudaei per omnes fere orbis terrarum partes disperfi fuerint, valde est probabile, et in remotioribus quibusdam terrae oris, e. c. Arabia, Africa, Perfia et alibi, varios adhuc incognitos esfe Codices Msf., quorum collatio maximam rei criticae praeftaret utilitatem. Saltem in regno Sinenfi habere Iudaeos Codices Msf. notum est, de quibus vid. *Eichhorn*, § 376 et *Bauerus*, § 124 auctoresque ab iis citati, qui Codd. licet optimae notae non videantur, neque omues libros facros contineant, ac denique ad Maforam fint correcti, digni tamen forent, qui conferrentur, ut faltem valor eorum accuratius, quam hactenus factum est, aeftimari posfit.

(*d*) Sic cum Codices Synagogici Pentateuchi, detriti vel mendis quibusdam gravioribus infecti, a Iudaeis abfcondi foleant, uti ante dictum est, haud forte omni utilitate careret, fi tales Codices reprobati a Iudaeis acquiri posfent; utpote inter quae, quin esfe posfint, qui maximam rei criticae afferant utilitatem, dubitari nequit. — Praeterea multi bibliopegae faeculo XVI Codicibus Msf. cum aliorum librorum antiquorum, tum et Hebraeorum V. F. in pergameno exaratis, ufi funt ad compingendos libros. Haec itaque fragmenta fi colligantur, haud exigui faepe fore momenti, iam anno 1764 oftendit *Io. Sal. Semlerus*, edita peculiari *admonitione de obfervandis Hebraïcorum Manufcriptorum membranis, quae tegendis aliis libris inferviunt*, deinde recufa in eius *programmatibus Acad. felectis* (Halae 1779) *pag.* 179—226, ac recenfita a cl. *Ernestio*, *Bibl. Theol.*, *Vol.* V, *pag.* 380. Hac admonitione Semleri multi incitati dein talibus Codicum Msf. Hebraeorum fragmentis colligendis operam dederunt, uti videri poterit, fi confulatur *Ernesti Bibl. Th. novisf. T.* IV, p. 76 fqq. *Michaëlis*, *Orient. und Exeget. Bibl.*, *Tom.* II, *pag.* 196—209. *Tom.* IV, *pag.* 239—252. *Tom.* VI, *pag.* 240—247. *Tom.* VIII, *pag.* 167—178. *Tom.* IX, *pag.* 24—28. *Tom.* XI, *pag.* 47—49. *Tom.* XII, *pag.* 101—111. *Tom.* XIII, *pag.* 205—217.

Eti-

Etiam aliorum Manufcriptorum fragmenta fimili aliquando modo detegi, exemplis quibusdam oftendit celeb. *J. Clarisfe*, *Verhand. van de Maatfchappij der Nederl. letterk.*, *Tweeden deels tweede ftuk*, *bl.* 183 *enz.*

§ 81.

D. *Indagatur ufus criticus editionum principum textus Hebraei V. F.*

D. Quartum emendandi textus Maforethici fubfidium fuppeditant nobis *editiones* Codicis facri *Hebraei*, non quidem omnes, fed *principes*, id est, primae illae, quae e folis Codicibus Msf. expresfae funt, utpote quas pari cum Codicibus illis Msf., e quibus ductae funt, auctoritate gaudere, cuivis liquet. Tales autem editiones fuppeditare quamplurimas infignis valoris lectionis varietates, luculenter docent collationes earum, a *Kennicotto*, *Rosfio*, aliisque viris eruditis inftitutae (*a*). In his autem editionibus imprimis illae caeteris funt praeferendae, quae inde a prima editione, quae fuit Pfalterii anno 1477 usque ad tertiam editionem Bombergianam anni 1525 publicatae fuerant, utpote ad cuius normam deinde omnes reliquas editiones factas esfe iam dictum est § 3, N°. III, quamquam et in quibusdam earum hic illic variationes quaedam lectionum apparent, cum non omnes eam aeque presfo pede fequantur (*b*).

(*a*) Speciminis loco fit, quod notat *Michaëlis*, *Or. und Exeg. Bibl.*, *Tom.* I, *pag.* 145 editionem Bibliorum anni 1488, plus quam 12000 locis a textu van der Hoogthiano discrepare.

(*b*) Omnium ad rem criticam accommodatisfime editiones Codicis Hebraei recenfuit *Eichhorn*, § 391—404. Alios fcriptores de editionibus textus Hebraei iam notavimus § 33, *not.* (*e*). Cf. *Ravii*, *exercc. ad Houb.*, p. 27 fqq.

§ 82.

III. *Quid de coniecturis criticis ſentiendum ſit, disquiritur.*

III. Prouti in libris antiquorum Graecorum ac Romanorum quaedam ſunt loca, procul dubio corrupta, quae nulla talium ſubſidiorum criticorum, qualia hactenus enumerata ſunt, ope ad integritatem reſtitui posſunt; ita et talia quaedam reperiri in libris ſacris V. F. eo minus est mirandum, quo certius est, cum inde a tempore confectae verſionis Graecae Alexandrinae usque ad ſaeculum XI vel XII, praeter paucas verſiones et conamina quaedam critica Iudaeorum, nulla ſubſidia critica ſuperesſe, tum Maſorethas aliosque criticos Iudaeos multa lectionis vitia antiquiora intacta reliquisſe, omnesque, quos huc usque cognoſcimus, Codices Msſ. nimis esſe recentes, nimiumque ad recenſionem Maſorethicam esſe conformatos, quam ut, plerumque ſaltem, in examinandis et corrigendis antiquioribus quibusdam lectionis vitiis quidquam auxilii praeſtare posſint.

Quemadmodum igitur in aliis libris veteribus quibuscunque ſi nullum aliud auxilium ſuppetat, ſola coniectura locis affectis medelam afferre, nemine improbante, ſoleant critici; ita etiam, immo et propter datas modo rationes, multo magis hoc, ſi ita res ſe habeat, licet in libris Veteris Foederis; unde et *coniecturam criticam* non veremur ad tertiam referre clasſem adminiculorum criticorum, coll. § 56, exemplum hac in re ſecuti non tantum ipſorum Iudaeorum veterum (§ 27, No. 6) verum et praeſtantisſimorum e Christianis criticorum (*a*).

Monet autem nos cum ipſa res ac ratio, tum et multorum criticorum hanc coniiciendi libertatem in me-

meram hariolandi licentiam convertentium, vel etiam ea ad praeconceptas quasdam opiniones easque ſaepe falſisſimas confirmandas abutentium exemplum, ut ſummam in coniecturis his adhibeamus prudentiam ac modestiam (*b*).

Hoc vero ut rite fiat;

I. nemo audeat criticis uti coniecturis, niſi qui iis faciendis aptus ſit, id est, qui linguae Hebraeae eiusque idiotismorum probe gnarus ſit, artisque criticae exercendae non tantum notitia quadam ac felicitate, verum et longo uſu polleat (*c*).

II. Ad coniecturam criticam non est confugiendum, niſi ſumma urgente necesſitate.

Ea vero necesſitas adest, cum, adhibitis omnibus ſubſidiis exegeticis, lectio quaedam aut nullum edit ſenſum, aut talem, quo admisſo, auctor ſibi ipſe contrarius esſet, vel et abſurda diceret, cum porro ſeries rerum alium ordinem requirit, aut aliquid vel demendum, vel addendum, vel mutandum esſe iubet, cum denique vox vel conſtructio occurrit, quae univerſae analogiae grammatices ac linguae Hebraeae repugnat (*d*).

III. Potest etiam critica coniectura modeste proponi, et eruditorum examini offerri, ſi quando, licet haud prorſus necesſaria ſit, contextus tamen aliquis maiorem ex ea admisſa lucem accipiat (*e*).

IV. Coniecturam, quae proponitur, oportet esſe *probabilem*, quo pertinet

A. ut coniectura talis ſit, quae revera tollat difficultatem, quae in lectione conſueta inest: ceteroquin enim fieri absque ratione certum est.

B. Ut eiusmodi ſit lectio per coniecturam propoſita, quae facile erroneae textus lectioni anſam dare potuerit: quare ſi quis feliciter in coniecturis faciendis verſaturus ſit, eum oportet omnes expoſitas

Capite III variantium lectionum origines probe cognitas habere; quo enim facilius lectio textus vitiosa oriri potuit ex ea, quae coniiciendo reponenda proponitur, eo probabilior est coniectura *(f)*.

C. Eo probabilior erit coniectura, si qua in antiquis versionibus aut Codicibus Msf. reperiatur lectio, quae licet sit perversa, lectioni tamen per coniecturam propositae, proxime accedat *(g)*.

V. Coniecturae criticae, qualemcunque habeant probabilitatis speciem, numquam in textum recipiendae sunt; cum nunquam certo nobis persuasum esse queat, utrum coniectura veram lectionem exhibeat, summaque textus sacri oriretur confusio: lectionisque incertitudo, si cuivis liceret ingenii sui *εὑρήματα* in textum inferre *(h)*.

(a) Conf. quae de Iudaeis annotavit *Cappellus*, *L.* VI, *C.* VIII. In emendandis auctoribus veteribus saepius instituisse coniecturas Casaubonum, Heinsium, Bentleium, Hemsterhusium similesque, notissimum est. Etiam incognitae non sunt vel paullulum eruditioribus coniecturae criticae ad quaedam loca N. T. Bentleii, Marklandi, Hemsterhusii, Valckenarii et aliorum. Speciatim de coniecturis criticis in V. F. conf. *Cappellus*, *Lib.* VI, *Cap.* VIII et IX, *Tellerus* in *praefatione*, praemissa *dissertationi Kennicottianae super ratione textus Hebraici secundae*, *De Rossi*, *Proleg.*, § 32, *Michaëlis*, in *Bibl. Orient.*, variis locis, quae conquiri possunt e *Tomo* XXIV sive indice, voce *Coniecturen*, *Eichhorn*, § 404, *Bauer*, § 130 et 138, *Iahn*, § 144, 145. *Heringa*, *over het gebruik en misbruik der Critiek*, *pag.* 268 seqq. Immo et *Lutherum*, *Osiandrum* aliosque saepe coniecturis usos esse docet *Eichhorn*, *l. c.*, *pag.* 231, not. quorum catalogus *Zwinglio*, *Masio*, *Piscatore* aliisque facile augeri posset.

(b) Graviter itaque peccarunt multi critici audaciores, qui ubicunque fere offenderent, mox ad emendationem ex ingenio depromptam confugerunt, in quibus omnium im-

impudentisſimus est *Houbigantius.* Pesſime autem peccant, qui in gratiam ſystematis cuiusdam aut praeconceptae opinionis textum ex ingenio mutant, uti in N. F. e. g. fecit *Io. Crellius*, contra univerſam veterum interpretum Codicumque Msſ. conſenſionem, *Io.* I, 1 pro Θεος legendum volens Θεου, ne ſcilicet ibi inveniretur doctrina de divina Christi natura, et in V. F. *Franciscus Hare*, qui textum Pſalmorum ſaepisſime coniecturis ſuis conſpurcavit, ut eum metricae Hebraeae, quam invenisſe ſibi videbatur, conformem redderet. Quam egregie in emendandis auctoribus veteribus et temeritatem, et oppoſitam ei ſuperſtitionem vitaverit *Hemſterhuſius*, docuit in eius elogio *Ruhnkenius*, *pag.* 53.

(*c*) Quam turpia quis committere posſit vitia, qui absque idonea linguae Hebraeae eiusque idiotismorum cognitione textum ſacrum corrigere audeat, imprimis docuit exemplum *Houbigantii*, cuius aliquot centenae ſic dictae emendationes e ſola grammatices et ſyntaxeos Hebraeae inſcitia oriuntur. Neque meliores ſunt *coniecturae in Iobum et Proverbia Io. Reiskii*, viri Arabicae linguae ad miraculum periti, ſed Hebraicae tam imperiti, ut vix cum tironibus comparari potuerit.

(*d*) Sic *Pſ.* CVII, 3 legendum esſe מימין *a meridie*, pro מים *a mari*, necesſarium facit oppoſitio nominis מצפון, *a ſeptentrione*, quamquam in lectionem vitioſam מים conſpirent omnes Codd. et omnes antiquae verſiones. Similiter quadruplex coniecturae necesſitas adest in uno *Pſ.* XXV, nempe, cum *vs.* 2 a litera ב incipere debeat, pro אלהי בך בטחתי, legendum est verbis transpoſitis בך אלהי בטחתי; porro post verſum 5 omisſus est integer verſus, qui a litera ו incipere deberet, habetque hic verſus tria membra, cum reliqui verſus ſemper duobus membris conſtent: unde probabile est in verſu 5 unum membrum a litera ו incipiendum, esſe omisſum. Inſuper cum verſus 1 uno modo membro conſtet et verſus ſeptimus tribus membris, haud improbabile nobis videtur ultimum membrum verſus 7, למען טובך יהוה traiiciendum esſe ad verſum 1. Denique verſu 18 omisſa est vox a litera ק incipiens, unde haud improbabilis est coniectura cl. *Schroederi* in *annot.* nostris *philol.* h. l. commemorata, ſupplendum es-

se verbum קום *Surge:* in his autem omnibus neque versiones vett. neque Codd. Msſ. ullam alicuius momenti opem ferunt. Alia exempla ſimilia dabit *Iahn*, *pag.* 499, 500, et *Michaëlis*, *Bibl. Or.*, *Tom.* XVIII, *pag.* 106.

(*e*) Sic 1 *Sam.* IX, 10 lectio esſet plenior, ſi post נלכה *Iamus*, adderentur verba עד הרואה coll. *vs.* 9, licet prorſus necesſaria non ſint. Alia exempla dant *Michaëlis*, *Or. Bibl.*, *Vol.* XVIII, *pag.* 107 et *Iahn*, *pag.* 500.

(*f*) Sic facillimae, eoque nomine probabiliores ſunt coniecturae, quae e. c. nituntur permutationi literarum ב et ר, ד et ר, ה et ח ſimiliumque, vel quae ex meris conſtant punctorum mutationibus. Multa coniecturarum faciliorum exempla dedit *Bauer*, *l. c.*, *pag.* 447, 448, 449.

(*g*) Sic enim levi quidem, at alicui tamen auctoritati nititur coniectura.

(*h*) Lectu digna ſunt, quae hanc ad rem notavit *Clericus*, *Art. crit.*, *Part.* III, *Sect.* I, *Cap.* XVI, § 43, 44. De univerſa § cf. *Ernestius*, *Bibl. Th.*, *T.* VI, *p.* 785 ſqq. et *Wilkii*, *Disſ. de regundis finibus coniecturae criticae in textu Hebr. V. T.* apud eundem, *T.* VIII, *p.* 750 ſqq.

CA-

CAPUT QUINTUM.

REGULAE QUAEDAM, IN DIIUDICANDA LECTIONUM VARIETATE ET CORRIGENDO TEXTU PROBE OBSERVANDAE.



§ 83.

Capitis huius cum praecedentibus connexio.

Cum viderimus, e quibus fontibus varietas lectionis in Codicibus Msf. orta fit, *Cap.* III, et quibus fubfidiis in diiudicandis variantibus lectionibus textuque corrigendo utendum fit, *Cap.* IV; restant adhuc, fecundum partitionem § 8 inftitutam, pertractandae regulae quaedam, non quidem tales, ad quas in fingulorum illorum fubfidiorum ufu attendendum est, utpote quae Capite IV fuis locis datae funt, fed tales quae ad univerfum hunc textus corrigendi laborem pertinent, feu quas probe tenere et obfervare in omni hoc negotio oporteat veri nominis criticum.

§ 84

Regularum talium utilitas.

Quamquam ingenii felicitas, et diligens critices ftudium, quemvis facile ufu docebit, quid in uni-

verſo hoc negotio obſervandum, quid vero fugiendum ſit; haud tamen inutile erit maxime iunioribus, ut regulas quasdam, peritioribus criticis obſervari ſolitas, et longo uſu probatas cognitas habeant, quarum obſervatione non tantum tardiora ingenia adiuventur, verum et meliora citius faciliusque laudem bonorum criticorum attingant, quam ſi per multos errores, utpote quos absque prudentibus admonitionibus evitare non poterunt, viam hanc decurrant.

§ 85.

Earum tradendarum et obſervandarum difficultas.

Est interea negotium perdifficile tales regulas tradendi et obſervandi, quae ſemper valeant, nullamque habeant exceptionem: cum aliquando talia critico occurrant, in quibus ei omnino contra regulas legesque criticas agendum ſit, licet ea haud ſint multa, et ſollertiori ingenio haud difficulter distinguenda. Sic in univerſum, uti dein dicetur, verisſima est regula lectionem difficiliorem rarioremque praeferendam esſe faciliori ac vulgatiori. At vero fieri aliquando potest, ut lectio difficilior ac rarior caſu potius e faciliori ac vulgatiori orta ſit, quam contra; ne dicam, posſe esſe Codices a librariis doctioribus conſcriptos, qui ſtudioſe lectiones difficiliores rarioresque praetulerint facilioribus vulgatioribusque. Et ſic etiam in aliis. Unde in regulis his ad uſum adhibendis ſemper antea examinandum erit, num etiam ab iis magis minusve procul recedendum ſit, quod examen quin absque naturali quadam ſagacitate, adiuta longiori artis criticae uſu, inſtitui nequeat, nemo facile negaverit, quae vero uti multis deëst,

ita

ita et ab aliis, qui ea destituti non sunt, non semper, quo par est modo, alitur aut acuitur.

Conf. cl. *Ernesti, Opusc. phil. crit.*, *pag.* 261.

§ 86.

Quid in universum ad recte observandas regulas tales expediat, et quid eum in finem optandum sit, docetur.

Ut in universum regulae hae recte observentur, imprimis expedit, ut

1) bonorum criticorum, in auctores Graecos, Hemsterhusii, Ruhnkenii, Valckenarii similiumque, in Latinos Nic. Heinsii, Graevii, I. F. Gronovii, Broukhusii, Burmanniorum, iisque parium labores, quanta possumus, accuratione consulamus, legesque, quas illos in emendandis auctorum profanorum textibus secutos esse videmus, quantum hoc fieri potest, ad criticen librorum sacrorum transferamus;

2) ut cognitas habeamns emendationes textus Hebraïci, quas multi iam inde a renatis literis ediderunt, vel operibus suis inseruerunt, imprimis recentiori tempore, uti Clericus, Houbigantius, Kennicottus, Venema, Michaëlis, Grevius, aliique, maxime ex Anglis et Germanis, quo ex eorum malis aeque ac bonis correctionibus, quid fugiendum, quid sequendum sit, dispiciamus; quo consilio optandum esset, ut a viro quodam, rei criticae Veteris Foederis perito, in unum corpus collectae ederentur emendationes, ab aliis institutae, textus Hebraei, una cum additis eius censuris.

§

§ 87.

Divisio harum regularum.

Regularum harum duplex statui potest species, quarum prima exhibet generaliores, altera specialiores, quae prioribus, tamquam fundamentis, innitantur; omnesque ita comparatae esse debent, ut earum observatio in re critica universa probe sit tenenda.

§ 88

Regularum generaliorum prima.

Prima regula generalis haec sit: *caveamus, ne emendemus quae emendatione non indigeant.* Regula haec nos admonet, ne immoderato feramur pruritu mox corrigendi quaecunque non intelligamus, vel quae prima specie nobis linguae genio auctorisve consilio haud convenire videantur, non tantum per coniecturam, verum neque tunc, quando aliquod corrigendi textus patrocinium reperimus in versionibus antiquis vel in Codicibus Msf. Sunt enim et in antiquis versionibus, et in Codicibus Msf. haud pauca, quae, licet pleniorem sensum fundant, quam lectio, quae hodie in textu reperitur, vere tamen sunt vitia, sive e librariorum incuria, sive ex eorum sola coniectura exorta, coll. § 54 et 62, No. VII. Praeterea haec alte inhaereat animo nostro sententia, in lingua tam antiqua, tamque a linguarum occidentalium genio aliena, cuius insuper tam pauca ad nos pervenerint monumenta, perdifficile saepe esse, definire quid cum eius genio conveniat, quid minus, itidemque consilium auctorum sacrorum, imprimis poëticorum, propter sublimius et abruptius dicendi genus, et prop-

ter

ter aliorum, quae confilio isti indagando necesfario cognofcenda esfent, ignorationem, faepe a nobis plane percipi non posfe, faltem non adeo plane, ut nostrae de eo opinioni correctionem textus fuperftruere liceat.

Si igitur tale quid occurrat, quod eiusmodi nobis obiiciat difficultatem, prius femper circumfpiciendum est, num alio modo difficultas ea tolli posfit, quam ad emendationem confugiamus: immo potius ignorantiam nostram ingenue fateri oportet, quam petulanti corrigendae lectionis licentiae indulgere.

Haud defunt exempla Criticorum facrorum, qui hac in re magis minusve graviter peccarunt: ne ipfi quidem *Capellus*, *Kennicottus* et *Michaëlis*, hoc nomine ab omni culpa liberari posfunt. Nemo autem impudentiori licentia in corrigendo, immo potius corrumpendo textu Hebraeo, grasfatus est, quam *Houbigantius*, e cuius notis criticis aliquot centena posfent exempla petulantiae illius criticae conquiri: et fane quid aliud ab homine exfpectari posfet, qui iam in operis fui limine hoc infcitiae et temeritatis fuae prodiderit fpecimen, quod dixerit, „tanta incuria editum esfe facrum He„braicum volumen, quanta haud fciat, an ullus editus fue„rit Codex, qui typographiae luce cohoneftatus fuerit." Ceterum et in corrigendis auctoribus Graecis ac Latinis haud pauci Critici, ceteroquin fummo pretio aeftimandi, hic aliquando modestiae limites migrarunt, uti *Toupius*, *Bentleius* aliique. Haud inutiliter legi poterit ad eorum quae dicta funt illustrationem *Clericus*, *Art. crit.*, *Part.* III, *Sect.* I, *Cap.* XVI, § 3—12.

§ 89.

Secunda regula generalior.

Regula generalis fecunda haec esto: *fi opus fit emendatione, ea in univerfum lectio praeferatur,*

quae

quae gravisſimorum testium auctoritate nititur, et ſimul bona est.

Gravitas testium pendet cum ex antiquitate, tum ex ακριβεια Codicum Msſ. quibus vel ipſi utimur, vel quibus uſi comperiuntur, qui verſiones e Codicibus Msſ. confecerunt, ac loca textus Hebraei citarunt. Interim huius testium gravitatis aliqui ſunt gradus, nec enim omnium eadem est auctoritas. — Primum gradum occupant in Pentateucho textus Samaritanus, et in omnibus libris V. F. loca parallela, utpote quorum ſumma est antiquitas. Secundo gradu aestimandae ſunt verſiones veteres, ante Maſorethicam recenſionem ex ipſo fonte Hebraeo confectae, in quibus iterum verſionis Graecae Alexandrinae, tamquam omnium vetustisſimae, primae ſunt partes, quam excipit antiquitatis et bonitatis ratione habita verſio Syriaca, ac denique fragmenta verſionum Aquilae, Symmachi ac Theodotionis, verſio Hieronymi Latina, et paraphraſis Chaldaïca Onkeloſi.

Tertium gradum adſignamus notis criticis Maſorethanum, utpote quae, uti veterum verſionum collatio docet, haud raro antiquisſimas exhibent lectiones.

Quarto gradu ponimus Codices Msſ. qui licet proxime quidem pertineant ad corrigendum textum Maſorethicum, varias tamen, uti antedictum est, et antiquas et bonas ſervarunt lectiones, quibus adiungimus editiones principes, ex ipſis Codd. Msſ. confectas.

Quinto denique loco collocamus reliquas paraphraſes Chaldaïcas, citationes locorum V. F., in Thalmude vel in ſcriptis Rabbinorum factas, et verſionem Graecam Venetam utpote in quibus parum adiumenti esſe, e dictis *Cap.* IV luculenter apparet.

Bonitas porro lectionis partim e *verbis*, partim e *ſen-*

ſententia cenſetur: primo enim lectio, ſi verba ſpectentur, eo melior est, quo veroſimilius est, auctorem iis verbis uſum esſe, quae lectio quaedam exhibet; deinde ſecundo, ſi ſpectatur ſententia, eo melior cenſenda est lectio, quo magis convenit cum conſilio ſcriptoris, et univerſa oratione contexta.

§ 90.

Tertia regula generalior.

Tertia tandem regula generalior haec esto: *Ratio emendationis, ſi fieri posſit, reddenda est.* Haud raro quidem occurrunt depravationes, quarum ratio vix, immo et aliquando prorſus non reddi potest, utpote quae aliquando per tot quaſi gradus factae ſunt, ut ad primam earum originem adſcendere vix liceat: at vero, uti recte ait *Clericus*, *Art. crit.*, *Part.* III, *Sect.* I, *Cap.* XVI, § 20 ubi videmus, „qui fieri potuerit, ut locus depravaretur, aut quid „librarios aut falſarios eo adducere potuerit, ut lo„cum depravarent; facilius intelligimus corruptum „esſe, et quae emendatio adhiberi posſit. Contra, „ſi intelligere nequeamus, quare in certum modum „deformatus fuisſet locus quispiam, niſi depravatio „manifesta ſit, vix eam cernimus, et de emendatione „multo magis laboramus."

§ 91.

Regulae ſpecialiores. Earum prima.

Regularum ſpecialiorum (§ 87) haec prima esto. *In diiudicandis variantibus lectionibus bonitas lectionis pluris aestimanda est, quam plurium testium conſenſus.*

Per

Per ipſam enim rei naturam certum est, lectionem, pluribus internis veri criteriis, quae res et ſententia et obſervationes grammaticae ſuppeditant, commendatam, vel nullorum vel ſaltem paucorum testium auctoritate opus habere: fieri enim potest, imo et ſaepe factum est, ut e. c. vel verſio antiqua vitioſam Codicis Msſ. lectionem expresſerit, vel et lectio vitioſa in variis Codicibus Msſ. inveniatur, quod illam unus Codex ex alio transſcripſerit; unde ſaltem, uti iam § 77 et 80 dictum est, parum auctoritatis lectioni cuidam accedit e plurium Codicum Msſ. conſentione, quamdiu nondum plenius nobis de genealogia et recenſionibus eorum diverſis conſtat: unde ſaepius e pluribus lectionibus, ea, quae bona est, propter ſolam ſuam bonitatem, licet paucorum vel minus gravium testium conſenſu confirmetur, praeferenda est.

§ 92.

Secunda regula.

Secunda regula haec est. *E lectionibus pluribus, quae aeque gravibus testibus inſtructae ſunt, ſola ea, quae bona est, praeferatur; ſi utraque bona ſit, ea, quae ceteris melior; ac, ſi plures aeque bonae ſint, ea quae ceteris est antiquior.*

In omni quippe lectione bonitas primum ac praecipuum est, quod in cenſum venit, nec enim antiquitas ſola, cum vitioſa lectio antiquisſima esſe posſit, utpote ſaepius ex uno Codice ad plures derivata, aestimanda est, niſi tum, quando par est plurium lectionum bonitas; utpote quando lectio antiquior eo ſaltem nomine praeferenda est, quod propius ad auctoris aetatem accedit, coll. § 89.

§ 93.

Tertia regula.

Tertia haec ſit regula. *Quo convenientior lectio est cuiusque auctoris conſuetudini ſcribendi, eo melior est.*

Quique enim auctores ſuam habent loquendi, ſcribendique conſuetudinem, ad quam ſequendam ipſa eos impellit natura; cui accedit etiam hoc, tempus quo quis vivat, maiorem minoremve linguae notitiam, qua quis polleat, dialectum qua quis utatur, haud exiguam in loquendi ſcribendique eius rationem habere efficaciam. In lectionum itaque plurium examine non quaerendum est, quae lectio ſit grammatice rectior, exquiſitiorque, uti aliqui inſtituunt Critici (*a*), verum quae magis cum ſcribendi conſuetudine ſcriptorum ſingulorum conveniat. Atque hinc in poëticis praeſertim libris ea lectio potior est, cui parallelismus faveat (*b*).

(*a*) Sic *Nic. Heinſius* et *Rich. Bentleius*, viri ceteroquin ſummi, haud raro ita textum praeſertim Poetarum Latinorum e mera etiam ſaepe coniectura emendant, ut vix dubium ſit, Poëtas illos, ſi emendationes illae iis cognitae fuisſent, eas ſecuturos fuisſe, quamquam minime conſequitur ſemper lectionem eo esſe veriorem, quo ſit elegantior. In corrigendo textu Hebraeo ſaepius etiam in eo aberravit per inſcitiam *Houbigantius*, quod omnes archaismos, generis masculini et feminini in duobus vocibus coniunctis differentias, et ſimilia ſemper ad leges recentioris grammatices correxit.

(*b*) Varia huc pertinentia exempla exhibuit cl. *Heringa*, *over het gebruik en misbruik der Critiek*, *pag.* 241 ſqq.

§ 94.

Quarta regula.

Quartam regulam hanc tradimus. *Quae lectio nullo modo cum auctoris cuiusque consuetudine scribendi convenit, genuina non est.*

Sequitur hoc ex iis, quae § 93 dicta sunt: quilibet enim auctores sibi proprium dicendi scribendique characterem haud facile deserunt, sed eum constantes sequi solent. Multae hoc nomine correctiones Houbigantianae manifesta mox ostendunt falsitatis suae indicia, quod lectiones proponant valde insolentes, quae a scribendi ratione auctorum sacrorum prorsus sint alienae.

§ 95.

Quinta regula.

Maximi momenti quinta est regula; haec nempe: *Lectio difficilior, rarior, et prima specie minus recta praeferenda est faciliori, vulgatiori, et grammatice rectiori.* Ratio regulae huius in aprico posita est: in lectionibus enim difficilioribus, rarioribus ac prima specie minus rectis promptissima corrigendi librariis se offerebat occasio, vel et criticis per glossemata interpretandi; quae deinceps, per inscitiam quippe meliora visa, facile in textum inferebantur. Mirum itaque non est, omnes probos Criticos regulam hanc firmiter tenere.

Exemplis quibusdam regulam hanc confirmat *Bauerus*, *l. c.*, *pag.* 457, 458. Ad crisin librorum Novi Foederis eandem regulam dederunr ac secuti sunt *Wetstenius*, *Ernestius* aliique. Et hic saepe per inscitiam errare Houbigantium, cf. *Ravii*, *Exercc.*, p. 67 sqq. coll. *Ern.*, *Bibl. Th.*, T. V, p. 172—178.

§ 96.

Sexta regula.

Multo quoque uſui est ſexta regula: *in examine vocum vel additarum, vel omisſarum, vel mutatarum eae lectiones ſunt praeferendae, quarum vel additionis, vel omisſionis, vel mutationis probabilior dari potest ratio.*

Conſequitur hoc e tertia regula generali, § 90 tradita: ipſaque res ac ratio aeque ac Codicum Msſ. uſus docet, lectionem, quae primum leviter modo depravata fuit, deinde vel additione, vel omisſione, vel permutatione ulterius depravatam esſe; unde ſequitur, lectionem eam, cuius primum depravatae ratio reddi post, ceteris esſe probabiliorem.

§ 97.

Septima regula.

Septima regula haec est. *Cum loca quaedam ſint, in quibus plures lectiones inter ſe ſunt commixtae, accurate ad leges criticas antea datas inquirendum est, quaenam ex iis vera, ſaltem ceteris probabilior ſit.*

Saepius nempe accidit, ut in uno loco textus e pluribus lectionibus, inter ſe commixtis, ita ſit interpolatus, ut ex omnibus illis lectionibus ſimul ſumtis tandem vera lectio ſit quaerenda.

Sic 2 *Sam.* VIII, 13 primum post שם *tropaeum* est omisſum ויך et porro pro ארם legendum est אדם, *et fecit David tropaeum et deinde percusſit, cum rediret ab eo* (Hadad Ezare) *percutiendo Idumaeos in valle ſalis.* Similiter e duobus lectionibus vitioſis vera lectio conſtituenda est *Deut.* XXXIII, 21, nempe

 1)

1) שׁם mutandum est in שָׂם *posuit* et

2) חלקת mutandum est in חִלְקָה *posuit*, seu *definivit eius portionem legislator venerandus*.

3) In sequente membro gravissime peccatum est perversis distinctionibus cum membrorum tum vocum, itidemque prava punctatione verbi עָשָׂה unumque ו post עָשָׂהוּ excidit: legendum enim ibi est ויתא ראשי עם צדקת יהוה עָשָׂהוּ ומשפטיו עם ישראל ut sensus sit:

Dispexit (Gadus) *sibi primitias*,
Cum definivit portionem eius legislator venerandus,
Et in altum protendit capita populi benevolentia Dei
Qui eum fecit, et cuius iudicia sunt cum populo Israëlitico.

Et sic in multis aliis locis.

§ 98.

Octava regula.

Definimus in regula octava, quae haec est: *Quamquam in mutandis punctis vocumque distinctionibus ab omni licentia sit abstinendum, licet tamen, ubi validae hoc exigunt rationes, ab iis etiam sine testium auctoritate recedere.* Cum enim et puncta et vocum distinctiones pervetusta nitantur traditione, ex una parte iis haud exigua debetur reverentia, ex altera autem parte semper maior quaedam in his mutandis est libertas, cum recentioris sint originis, ipsique veteres interpretes aeque ac codices Msf. maiorem in his, quam in literis mutandis sibi sumserint libertatem.

Conf. dicta § 15., 16, 17, 46, et add. *Bauerus, l. c., pag.* 158 sqq.

